

**OFFICIA PROPRIA
DIOCESEOS
PASSAVIENSIS**

PARS AUTUMNALIS

Die 4 Septembris

S. ROSALIÆ

Virginis

Duplex

V. Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, próspero procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

Exaudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beatæ Rosália Virginitatē festivitatē gaudemus, ita piæ devotionis erudiámur affectu; et ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis miserocorditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Rosália Virgo, orta Panormi, ex nobili género suam originem trahens a Cárolo Magno, in

Quisquínæ montem quadraginta círciter mille pássibus distántem sola secédens, patérnæ domus opes, delícias, ac spem majóris amplítudinis ob propinquitatem et benevoléntiam regum Siciliae contémnens, cum tétricæ rupis horrore et asperitate commutávit: inque antrum, cui tunc únicus et quidem angustus áditus e superiori loco patébat, intrépide descendit ea mente, quam charactéribus saxo insculptis adhuc paténtibus expréssit: ego Rosália Sinibáldi Quisquínæ et Rosárum Dómini filia, amore Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitare décrévi. Quia inscriptione oculis obversante, susceptæ vita propósitum altius cordi infigere, ac divinæ benevolentiae signa ad castissimæ mentis blandimenta vicissim provocare consuévit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dexter tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua intende, próspero procede, et regna. **Et.**

Lectio v

In hac specu subterranea sibi et mundo emortua, consepultaque Iesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctisque latuit, cavens præcipue, in móntibus paterni principatus, ne forte agnita in domum urbemque pátriam abduceretur invita. Cálidas dáemonum insídias, quæ áspere vitæ tedium et solitudinis horrorem ánimo ingerébant, áriter saeviendo in se ferrea catena, vigilis et humi cubatione forti ánimo superasse antiquæ ícones significant. Cumque humánis destituta præsidiis, nihil solácia aliunde hauríret, quam e cælo, Dóminus, qui consolátur et corónat sanctos suos, angélicis deliciis illam sépius recreabat.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Poecatis:** Propterea.

Lectio vi

Cælesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiore speluncam peregrini montis, tribus fere mille pássibus procul Panórmo, Rosália se tránstulit, ut quo difficiórem pugnam secum ipsa committeret e conspéctu domus paternæ, eo laudabilius de contemptis mundi illécebris triumpháret. Latébat ibi ad partem lèvam angustus cóncavus, quem éadem post repertas ejus reliquias illuc venánti, cui se vidéndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum ætatis exegisset. Hic tamquam colúmba in foraminibus petrae gemens, in cælestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus caritatis rosis et virginitatis liliis coronata, depósuit pridie Nonas Septembribus. Cujus corpus Urbáno octavo Pontifice Máximo divinitus anno Jubilæi to-

tius Siciliæ plausu repé-
tum, illama pesteliberávit.

R. Afferéntur Regi vín-
gines post eam, próximæ
ejus * Afferéntur tibi in
lætitia et exsultatione. **V.**
Spécie tua et pulchritúdi-
ne tua inténde, próspera
procéde, et regna. **Affe-**
rémentur tibi. Glória Patri.
Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in
Evangelium Simile erit reg-
num cælórum decem virgíni-
bus, de Communi Virginum
1 loco.

AD LAUDES

V. Diffusa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Propterea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

Ad Bened. **Ant.** Símile
est regnum cælórum * hó-
mini negotiatóri querén-
ti bonas margaritas: in-
vénta una pretiosa, dedit
ómnia sua, et comparávit
eam.

Oratio

Exaudi nos, Deus, sa-
lutáris noster: ut, sic-
ut de beatæ Rosáliaæ Vir-
ginis tuæ festivitaté gau-
démus, ita piae devotio-
nis erudiámur afféctu; et
ejus intercessióne ab ira-
cundiæ tuæ flagellis misé-
ricorditer liberémur. Per
Dóminum nostrum.

1*

IN II VESPERIS

V. Diffusa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Propterea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

Ad Magnif. **Ant.** Veni,
Sponsa Christi, * áccipe
corónam, quam tibi Dó-
minus præparávit in ætér-
num.

Et fit Commemoratio se-
quentis:

Ant. Sacérdos et Pónti-
fex, et virtútum ópifex,
pastor bone in pópulo,
ora pro nobis Dóminum.

V. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum. **R.**
Stolam gloriæ induit eum.

Oratio

Da, quás sumus, omnípo-
tens Deus: ut beáti Lau-
réntii Confessóris tui at-
que Pontificis veneranda
sollémnitas, et devotio-
nem nobis áugeat et salú-
tem. Per Dóminum no-
strum.

Die 9 Septembbris

S. CORBINIANI

Episcopi et Confessoris

Duplex

Ant. Sacérdos et Pónti-
fex, et virtútum ópifex,
pastor bone in pópulo,
ora pro nobis Dóminum.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriae índuit eum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Corbiniani Confessoris tui atque Pontificis prædicatióne et miraculis ad agnitióne mui nón vocare dignátus es: concéde propítius; ut, cujus sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno**Lectio iv**

Corbinianus e regióne Melitonensi, ex vico, cui nomen Castrus, vulgo Chartres, diocesis Parisiensis oriündus, patrem hábuit Waldekísum, matrem Corbinianam. Qui optimae índolis puer eo demum Christi grátiá ad dúcitus est, ut paulo adúltior spreta mundi vanitáte, juxta beáti Germáni ecclésiam monastérium constrúeret, ubi cum annos quatuórdecim magna pietáte exegisset, Romanam ábiit, solum áliquem ad divi Petri basilicam ángulum a Pontífice im petratúrus. Verum Póntifex audita viri sapiéntia vel invítum episcopum, dato étiam pállio, creat.

Quo ille accépto honóre in Gálliā revérsus ita se gessit, ut vitæ sanctimóniam miracula divinitus édita exaugérent. Ibi septénnio circiter acto Romam régredi cōgitat, et in Nóricum delátus, ibidem aliquándiu rudi et recens ad Christum convérso populo salutárem Evangélīi impertivit doctrinam. Quem Théodo Bavariæ dux, et Grimoaldus filius ejus majore étiam contentiōne, ut subsisteret, rogántes, cum nihil obtinérent, donátum munéribus additis quoque comitibus ad Italiæ fines honorifice deduxerunt.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Nox eúntes inter áspes ra Alpium in campis ad silvam Berónam op presserat, cum equum elittárium incustodítum ab urso raptum dilaniári cōtigit. Tum Corbinianus sárcinam, quæ prius jumenti fúerat, urso im

póni jussit. Páruit bélua, silvéstri génio depósito, vicária ópera toto itínere functa. Roma rédiens, ut Tridénto Majas, Bóicæ tunc dictionis, pervénit, a castellánis jussus est, subsístere, et ad Grimoál-dum dedúci. Ut vero rescívite epíscopus, quod Grimoáldus Piltrúdem, uxórem fratris relíctam, justæ cónjugis loco domi habéret, aversátus scelus, præmittit qui semel díce-ret, se in conspéctum príncipis neútiquam ven-túrum, quámdiu probrum illud hæreat. Quadragín-ta dies conténtio tenuit. Mollítis tandem ánimes adfuére ad pedes epíscopi ambo cónjuges, peccátum conféssi detestatíque. Té-nuit deinde ibidem cáthe-dram pontificálem Corbi-niánus, et rem christiá-nam multiplicávit egrégie, ut eum non modo Grimo-áldus tamquam amícum amáret, sed et paréntis instar cóleret et obcédíret.

R. Pósui adjutórium su-per poténtem, et exaltávi électum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliá-bitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sanc-to meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vís ecclésiæ
At Piltrúdis, incésta Gri-moáldi Bojæ príncipis uxor, libídinis et invidiæ fácibus succénsa, eo quod per fervéntem hujus sancti adhortatióne ab illí-cito sui viri concúbitu se-paráta fuisset, non déstítit, per Ninum suum se-cretárium Corbiniáno mortem machinári. Quod ubi sanctus epíscopus præsénsit, sumpto secum clero ad Majénte Ca-strum, nunc Meran dictum, se cónfultit, prædicens, brevi futúrum, ut Grimo-áldus cum tota família sua péreat. Vatem fuisse evéntus demonstrávit; nam Grimoáldus ab insi-diatóribus interféctus, Piltrúdis ab ómnibus de-relícta et ad summam egestátem tandem redácta, filii ex ejus útero pro-gnáti vel mórtui, vel regno priváti, Ninus láncea fœ-de percússus, misérā vitam finírunt. Hugibérto Grimoáldi fratre ad regnum evécto, Corbiniánus Frisingam rediit, mortis diem horámque, quam su-is familiáribus prædixerat, exspectatúrus. Quare sacrificium offert, et my-stériis percéptis extré-

mum spíritum nulla cum doloris significatiōne sanctissime reddit, ante et post mortem plúrimis miraculis clarissimus.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus replēta est:
* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

V. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad caeléstia regna. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco. Lectio IX de S. Gorgonio, ut in Breviario.

AD LAUDES

V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. **Ant.** Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te consti-tuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Corbiniani Confessoris tui atque Pontificis prædicatione et miraculis ad agnitionem tui nóminalis

vocare dignátus es: con-céde propitiū; ut, cuius sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Gorgonii:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

V. Justus ut palma flo-rebit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessiōne lætificet: et pia fáciat sollemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de se-quenti, Commemoratio præ-cedentis:

Ant. Amávit eum Dómi-nus, et ornávit eum: stola gloriæ induit eum, et ad portas paradísi coro-návit eum.

V. Justum et Oratio Deus, qui nos, ut supra.

Die 13 Septembri

B. NOTHBURGÆ

Virginis

Duplex

Ant. Veni, Sponsa Chri-sti, accipe corónam, quam

tibi Dóminus præparávit
in ætérnum.

V. Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde,
próspere procéde, et regna.

Oratio

Préte nde, Dómine, fi-
délibus tuis déxteram
cælestis auxílii: ut, méritis
et exemplo beatæ
Nothburgæ Vírginis, te
toto corde perquirant; et,
quæ digne póstulant cón-
sequi mereántur. Per Dó-
minum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Nothburga Virgo piis e
paréntibus Ratten-
bergæ ad annum millési-
mum ducentésimum sexa-
gésimum quintum in lu-
cem pródiit. Octódecim
annos nata a cónjuge di-
vitis cujúsdam viri, cui
famulabátur, rei domésticae
præfecta ita prudénter
se gessit, ut annuente he-
ro quæ mensæ supérerant
paupéribus daret. Hos
autem illa nedum fércu-
lis, sed cælesti étiam re-
ficiébat doctrína. Hisce
dóminis emórtuis succé-
dit filius cum iníqua uxó-
re, quæ dapum reliquias
porcis tradi jubet. Dolet

Nothbúrga ac ne egénis
desit, eos in plateís con-
quirit et, quos sibi sexta
féria detráxerat, cibos
iisdem dívidit. Ejus au-
tem herus, uti fertur, ali-
quando ipse óbviam fac-
tus, quid grémio gestet,
aperíre jubet. Paret Noth-
búrga, sed Dei beneficio,
sicuti est tráditum, cibi in
ássulas et schídias, vi-
num in lixíviam commu-
tántur. Rerum sériem e-
dócta dómina eam duris
verbis compéllit et a fa-
mulátu dimíttit.

R. Propter veritátem, et
mansuetúdinem, et justí-
tiam: * Et dedúcet te mi-
rabiliter déxtera tua. **V.**
Spécie tua et pulchritúdi-
ne tua inténde, próspere
procéde, et regna. **Et.**

Lectio v

A quo ánimo hæc fe-
rens Nothburga cui-
dam rústico in Alpibus
Eben suam locat óperam,
eo tamen pacto, ut quod
a labore supérsit in orati-
ónē tempus impéndat ac
vespertínis horis, quæ
dies festos præcédat, ab
agéndo cessen. Spondet
agrícola, sed quodam sáb-
bato eam condícto tárdi-
us ad meténdas fruges im-

pellit. Ipsa falcem attollit ac legítimi pacti cupit árbitram; quæ e manu ávolans, ceu memóriæ próditum, stat péndula in áre. Ut autem cælesti sponso confórmis fieret, qui ómnibus despéctui fu-
it, vilíssima quæque am-
plicebátur. At Deus, qui exáltat húmiles, illátam ancillæ suæ injúriam est ultus. Prior enim dómìna, quæ eam ejécerat, non multo post intériit ejús-
que vir calamitáibus per-
cúlsus est ac fratri insí-
diis. Is igitur áliam du-
cens uxórem rursus in famulátum Nothbúrgam ad-
sciscit data vénia, ut pro sua liberalitaté egénis cónsulat. Quod ancilla Dei nedum præstitit, sed étiam utrúmque fratrem brevi reconciliávit. Ipsa vero humánas inter vicis-
sitúdines in cælum intén-
ta accénsam continuo lámpadem oleúmque ge-
rébat, ut divino sponso adventánti statim óbviā iret; rationem quoque, qua humári vellet, hero suo pandébat ingéne.

R. Dilexísti justítiā, et odísti iniquitátem: *Prop-
térea unxit te Deus, De-
us tuus, óleo lætitiæ. **V.**

Propter veritátem, et mansuetudinem, et justí-
tiā. **Propterea.**

Lectio vi

I taque anno círciter mil-
lésimo trecentésimo dé-
cimo tértio suprémo mor-
bo corrépta est sacrísque mystériis roboráta inter ómnium lácrimas ac pápu-
perum gémitus transít ad sponsum. Ejus votis ánnuens herus exúrias plaustro impóni binósque jungi boves ímperat, qui absque ductóre digredi-
ántur. Hi, sicuti fama per-
hibétur, primum ad régi-
am viam, subínde ad Cœ-
ni ripam pergunt ac per divíisas flúminis aquas Nothbúrgæ corpus in Ebenéensem montem dé-
ferunt. Eo loci tantisper quiéscunt et qui fúnebrem sequebántur pompa præstolári vidéntur. Mox in prærúpta curréntes ante sacéllum sancto Ru-
péerto sacrum virgíneas exúrias depónunt, quæ statim ínibi ad aram tu-
mulatæ sunt. Plúrima re-
ferúntur prodigia ejús-
dem Beátæ ope a Deo pa-
tráta. Hinc templum ex-
strúc tum ab ea nuncupá-
tum, hinc ipsius corpus

érutum et Antistitis auctoritate recognitum, elatum ac magnifice decoratum. Nothburga autem nedum Tirolis, sed et Bavariae, Austriae, Carniolae, Istriæ aliarumque gentium studii et cultus est potita. Cultum hunc vetustissimum Pius bonus Pontifex Maximus ex sacrorum Rituum Congregationis consulto ratum habuit et confirmavit, atque in ejusdem Beatae honorem Officium et Missam celebrari concéssit.

R. Afferentur Regi virginibus post eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitia et exultatione. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua intende, prospere procéde, et regna. **Afferentur** tibi. **Gloria Patri.**
Afferentur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium. Símile erit regnum cœlorum decem virginibus, de Communi Virginum 1 loco.

AD LAUDES

V. Diffusa est grátia in lábis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. **Ant.** Símile est regnum cœlorum * hó-

mini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiosa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Praetende, Domine, fidélibus tuis déxteram cœlestis auxili: ut, méritis et exemplo beatæ Nothburgæ Vírginis, te toto corde perquirant; et, quæ digne póstulant cónsequi mereántur. Per Domínun nostrum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis:

Ant. Veni, Sponsa Christi, accipe corónam, quam tibi Dóminus præparavit in æternum.

V. Diffusa et Oratio
Prætende, ut supra.

Die 17 Septembribus

S. HILDEGARDIS

Virginis

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

Fratres: Qui gloriatur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus coméndat.

Hymnus

Salve, nostra tu glória,
Exémplar es quæ Vir-
ginum!
Audi benigna súpplices
Tibi canéntes cáanticum.

O virgo, quæ mirabilis
Vixisti amóris víctima,
Et nunc beáris fúlgidis
Cæli recépta sédibus.

Vitæ per æquor túrbi-
dum
Tuos cliéntes dírige,
Nobísque amícum cóm-
para,
Cui te revínxit grátia.

Sicut dolos intérrita
Vicísti, et artes hóstium,
Et robur in discrímine
Sumens, nitébas púlchri-

or:

Sic bella nos quot ín-
gruunt
Da, te favénte, fúndere,
Virtútis almæ ac sémitam
Vultu seréno cùrrere.

Alat repóstam ménibus
Fidem supérrna cáritas;
Mores adórnet áureos
Intemeráta cástitas.

* Summo Parénti ac Fí-
lio

Tibique, Sancte Spíritus,
Sit laus, potésta, glória,
Per sempítéra sæcula.
Amen.

V. Spécie tua et pulchri-
tudine tua. R. Inténde,

próspere procéde, et reg-
na.

Ad Magnif. Ant. Hilde-
gárdis prophetíssa, * Spí-
ritus Sancti splendóribus
illustráta, vias Dómini re-
velávit.

Oratio

Deus, qui beátam Hil-
degárdem Vírginem
tuam donis cælestibus de-
corásti: tríbue, quásu-
mus; ut, ejus vestígii et
documéntis insisténtes, a
præséntis sǽculi calígine
ad lucem tuam delectábi-
lem transíre mereámur.
Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio præ-
cedentis:**

Ant. Gaudent in cælis
ánimæ Sanctórum, qui
Christi vestígia sunt secú-
ti: et quia pro ejus amore
ságuinem suum fudé-
runt, ídeo cum Christo ex-
sultant sine fine.

V. Exsultábunt Sancti
in glória. **R.** Lætabúntur
in cubílibus suis.

Oratio

Beatórum Mártyrum pa-
ritérque Pontificum Cor-
nélíi et Cypriáni nos,
quásumus, Dómine, festa
tueántur: et eórum com-
méndet orátkio veneránda.
(Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum. **R.** Signis redemp-tiónis nostra.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francisci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut, ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pænitén-tiae faciámus: Qui vivis et regnas.

In II Nocturno

Lectio iv

E Breviario Monastico Ordinis S. Benedicti

Hildegárdis in Palati-nátu inferiòre, ex pa-tre Hildebérto, matre Mechtilde, géneris nobili-tate ac pietatis fama con-spícuis orta, ténera in æ-tate miris jam visiónibus illustráta désuper, spretis mundi hujus oblectamén-

tis, octénnis sub régimine agnátæ suæ Juttæ, sanctissimæ Abbatissæ, in montem sancti Disibódi consepeleiénda Christo se-céssit. Monásticum dein institútum proféssa, admirándis paulo post divína grátiæ signis innótuit. Continuo fere acutíssimi mis excócta ægritudíni-bus, patiéntiæ exémplum ita univérsis exhibuit, ut tota ipsius vita Christo confixa cruci, quædam diútini fúerit imágó martyrii. E vivis sublátá be-áta Jutta, Hildegárdis li-cet renítens in ejus loco suffécta est. Quo in mú-nere sorórū necessitáti-bus ómnibus, eárum má-xime quæ consciéntia ut-cúmque laborábant, per-amánter providéque consulébat. Cum autem ejus monastérium nímiā moniálium numerositátem ut cáperet, jam esset insufficiens, ad álium mon-tem, a sancto Rupértō nuncupátum, cum plúri-mis ex illis conténdit, ibí-que sedem fixit Abbatí-alem. Quadragínta círci-ter annos nata ígneo túrbine ac lúmine prodigióso cálitus illápsa mirifice illistráta, donum

intellegéntiae ac expositio-
nis sacrárum Scripturá-
rum singulári Dei bene-
ficio accépit. Jussa item,
voce ad ipsam e súperis
emissa, quæ de cétero vi-
dere et audire mererétur,
sédulo scriptis mandáre,
cum id detrectáret, a Nú-
mine cójitur. Scribere
proin aggréssa, de poste-
ritáte omni ætérnum mé-
ruit: libros quippe con-
fécit exímios ac plane cæ-
léstes, ex quibus eam a
Spíritu Sancto edóctam
fuisse dignoscitur.

R. In caritaté perpétua
diléxit Hildegárdem Dó-
minus: ídeo attráxit eam
ab infántia, et duxit in
solítudinem: * Et locútus
est ad cor ejus. **V.** Spon-
sávit eam sibi in sempitérnum
in fide et in misericórdia. **Et.**

Lectio v

Prophetiae affláta spí-
tu, multis ad se ex di-
vérsis et remotíssimis re-
giónibus confluéntibus
mira omnino prædicébat,
eorúmque cogitationes et
occultióra córdium secré-
ta inspicébat: quosdam
étiam pérversa vel frau-
dulénta mente ad se ac-
cedéntes redarguébat; qui
corrépti et emendáti, ad

saniórem ánimum illico
redíre cogebántur. Nemo
ad illam unquam se cón-
tulit, qui ejus salutáribus
mónitís instrúcitus, cum
vitæ meliórís propósito
non recésserit. Divino in-
térea sápius impúlsa
Spíritu, Colóniam, Trévi-
rim, Metas, Herbípolim,
Bambérgam, aliáque loca
diversíssima, apostólico
zelo exástuans ádiit, et
quæ sibi divínitus fúerant
reveláta, Deo præcipiénte
audientíssime annuntiávit.
Hæréticos verbis ac scrip-
tis stupénda auctoritaté
et grátia confutávit ac
profligávit: Catharórum
imprimis pestilentíssi-
mam hæresim, quæ tunc
in alíquibus Germániæ
provínciis fautóres suos
habébat, nec non repul-
lulascéntem Berengárii
errórem doctíssimo libro
sanctíssima múlier elúsit
atque convícit. Illam mel-
lífluius Doctor Ecclésiæ
sanctus Bernárdus tanti
fecit ejúsque divína scrip-
ta ea prosecútus est vene-
ratione, ut ipso potíssum
agénte a detractí-
nibus adversántium vin-
dicáta, étiam a Summo
Pontífice Eugénio tértio,
in Concilio Trevirénsi,

Cardinálibus et Epíscopis | multis præsentibus, pú-
blica fúerint senténtia
confirmáta.

R. Placébat sibi in infirmitáibus et angústiis pro Christo: * Et váriis licet languóribus vexáta, ómnibus, qui in pressúra erant, caritatis solácium impendébat. **V.** Cum infirmabátur, tunc potens erat. Et.

Lectio vi

Ecclésiæ déniqe univer-sæ, assíduis labó-ribus, et sanctissimæ vita exémplo mirum in modum consúluit; ita nempe ut Eugénius tértius, tresque subsequéntes Románi Pontifices, Epíscopi non pauci, Imperatóres, aliique summi Príncipes Gál- liæ, Germániaæ, Itáliæ, atque sanctissimi quivis et eruditissimi viri, in gravíssimis quibúsque negótiis, illiūs consilium exquirerent, ejusque précibus Románam Ecclésiam, Im-périum, et suam quisque provínciam ac seípsum commendárent; déniqe post innúmera virtútum ac sciéntiæ divinitus infusaे insígnia, cælestium revelationum et miracu-

lórum grátia illústris, anno ætatis suæ octogésimo secundo, cum mortis suæ horam a Deo mónita prædixíset, migrávit ad Sponsum décimo quinto Kaléndas Octóbris, anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo nono: vere ac mérito ingens vocata sexus muliébris, immo Germániaæ, Ordinis sancti Benedícti et Ecclésiae miráculum, atque orbis univérsi oráculum. Ejus sacrum corpus in ecclésia primum sancti Ruperti juxta Bingam cónditum, dein bello tricennáli Colóniam aspor-tatum, postrémo in Ecclésiam Eibingénsis monastérii ab ipsa fundáti translátum est, ubi anno salutis millésimo octingentésimo quinquagésimo séptimosollémniter recog-nitum, summa fidélium veneratiōne colitur.

R. Apparuérunt cælestes spíritus, qui Hilde-gárdem ad Agni nuptias invitábant, dicéntes: * Veni, Dómina, quia te ex-spéctant cæli deliciae. **V.** Veni de Líbano, sponsa; veni de Líbano; veni, corona-beris. **V.** Veni. Glória Patri. **V.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Je-sus discípulis suis pa-rabolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virginibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exi-érunt óbviām sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni
Epíscopi

De S. Virginit. c. c. 25, 29, 30

Pérgite itaque, Sancti Dei, púeri ac puéllæ, mares ac féminæ, cælibes ac nuptæ; pérgite perse-verántes in finem. Lau-dáte Dóminum dulcium, quem cogitátis ubérius; speráte felicius, cui ser-vítis instántius; amáte ardéntius, cui placétis at-téntius. Lumbis accíncitis et lucérnis ardéntibus ex-spectáte Dóminum, quan-do véniat a núptiis. Vos afferétis ad núptias Agni canticum novum, quod cantábitis cítharis vestris, quale nemo pótterit dícere nisi vos. Sic enim vos vidi in Apocalýpsi qui-dam, præ céteris diléctus Agno, qui discúmbere su-per pectus ejus sólitus

erat, et biberat et eructá-berat mirabilia super cælé-stis Dei Verbum. Vos Agnum sequímini tenéndo perseveránter quod vo-luístis; ardénter fácite cum potéstis, ne virginitatis bonum a vobis péreat, cum fáceré nihil potéstis, ut rédeat. Vidébit vos cétera multitúdo fidélium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest; vi-débit, nec invidébit, et collætándo vobis, quod in se non habet, habébit in vobis.

R. Cum beáta Hildegár-dis vehémenter cúperet dissólvi, et esse cum Chri-sto, appáruit ei Sponsus, quem diligébat: * Qui eam ad cælestem thálánum tradúxit. **V.** Quæ est ista, quæ ascéndit de desér-to, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum. **Qui.**

Lectio viii

Präsumite itaque, fidi-te, roborámini, per-manéte, qui vovétis et rédditis Dómino Deo ve-stro vota perpétuae conti-néntiae, non propter præ-sens sǽculum, sed propter regnum cælórum. Vos étiam, qui hoc nondum vovístis, qui potéstis cá-pere, cápite; perseverán-

ter cùrrite, ut comprehen-
datis. Tóllite hóstias quis-
que suas, et introíte in
átria Dómini, non ex ne-
cessitáte, sed potestátēm
habéntes vestræ voluntá-
tis. Cogitáte quidquid il-
lud est: In muro ejus lo-
cum nominátum, meliò-
rem multo quam filiórū
atque filiárū. Cogitáte
illuc nomen æténum. Quis
éxplícatur quale nomen
erit? Quidquid tamen erit,
æténum erit. Hoc cre-
dendo et sperando et a-
mándo potuistis conjúgia,
non devitare prohibita,
sed transvolare concéssa.

R. O Sponsa Christi nô-
bilis! O mater venerábi-
lis! intercéde pro nobis
ad Dóminum, Regem An-
gelórū, quem semper
puro corde dilexísti, in
cujus ampléxibus sine fine
pérmanes: * Ut remittat
nobis ómnia, quæcúmque
in ipsum peccávimus: **V.**
Tribuens nobis fervórem
amóris sui sanctissimi, et
post hoc exsiliúm mansió-
nem cælestis habitáculi.
U. Glória Patri. **U.**

In Fériis Quatuor Tempor-
rum Lectio IX de Homilia
Feriæ et fit ejus Commemo-
ratio in Laudib⁹ tantum;
alias

Pro Impressione Ss. Stigma-
tum S. Francisci Conf.:

Lectio ix

Franciscus singulári pri-
vilégio retroáctis sâ-
culis non concéssso insig-
nitus appáruit, cum sa-
cris Stigmátibus decorá-
tus descéndit de monte,
secum ferens Crucifixi
effigiem, non in tábulis
lapideis vel lígneis manu
figurátam artificis, sed in
cárneis membris descrip-
tam dígito Dei vivi. Quón-
iam sacraméntum regis
seráphicus vir absconde-
re bonum esse óptime
norat, secréti regális cón-
scius, signácula illa sacra
pro vírib⁹ occultábat.
Verum, quia Dei est ad
gloriā suam magna re-
veláre quæ facit, Dómi-
nus ipse, qui signácula il-
la secréte imprésserat, mi-
rácula quædam apérte
per ipsa monstrávit; ut
illórum occulta et mira
vis Stigmatum manifésta
patéret claritatē signo-
rum.—Porro rem admirá-
bilem ac tantópere testá-
tam atque in pontificiis
diplomátibus præcipuis
láudibus et favórib⁹ ex-
altátam, Benedictus Papa
undécimus anniversária
sollemnitáte celebrári vó-
luit: quam póstea Paulus

quintus Póntifex Máxi-
mus, ut corda fidélium in
Christi crucifixi accende-
réntur amórem, ad uni-
vérsam Ecclésiam propa-
gávit. Te Deum.

AD LAUDES

V. Diffusa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Propterea
benedíxit te Deus in æter-
num.

Ad Bened. Ant. O dig-
níssima Christi sponsa!*
quam lux prophetiae illu-
strávit, zelus apostólicus
inflammávit, láurea vírgi-
num coronávit, divíni
amoris incéndium con-
summávit.

Oratio

Deus, qui beátam Hil-
degárdem Virginem
tuam donis cælestibus
decorásti: tríbue, quæsu-
mus; ut, ejus vestigiis et
documéntis insisténtes, a
præséntis sǽculi calígine
ad lucem tuam delectá-
bilem transíre mereámur.
Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Im-
pressionis Ss. Stigmatum S.
Francisci Conf.:

Ant. Euge, serve bone
et fidélis, quia in pauca
fuísti fidélis, supra multa
te constítuam, intra in
gádium Dómini tui.

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas. **R.**
Et osténdit illi regnum
Dei.

Oratio

Dómine Jesu Christe,
qui, frigescénte mundo,
ad inflammándum corda
nostra tui amoris igne, in
carne beatíssimi Francísci
passiónis tuæ sacra Stigmata
renovásti: concéde
propítius; ut ejus méritis
et précibus crucem júgi-
ter ferámus, et dignos
fructus pæniténtiae faciá-
mus: Qui vivis et regnas.

Vesperæ a Capitulo de S.
Josepho a Cupertino Conf.
ut in Breviario.

Et fit Commemoratio præ-
cedentis:

Ant. Súbveni nobis, Hil-
degárdis virgo sanctissíma,
æterni regis sponsa,
in cujus aula splendéscis
sicut stella fulgentíssima.

V. Diffusa et Oratio De-
us, qui beátam, ut supra.

Deinde Commemoratio Im-
pressionis Ss. Stigmatum S.
Francisci Conf.:

Ant. Hic vir despíciens
mundum et terréna, tri-
úmphans, divítias cælo
cóndidit ore, manu.

V. Signásti, Dómine,
servum tuum Franciscum.

R. Signis redemptiónis nostræ.

Oratio Dómine Jesu, ut supra 16*.

Die 9 Octobris

* S. GUNTHERI

Eremitæ, Confessoris

Duplex

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. **Ant.** Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui nos beáti Gunthéri Confessoris tui annua sollemnitéatē lètificas: concéde propítius; ut, cujus natalitia còlimus, étiam actiones imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Manum suam apéravit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiosa non comédit.

V. Diffusa est grácia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in æternum.

Oratio

Dómine, Deus noster, qui beátæ Birgittæ per

Fílium tuum umigénitum secréta cælestia revelásti: ipsius pia intercessióne da nobis, fámulis tuis; in revelatione sempiternæ glóriæ tuæ gaudere lætantes. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

Deinde S. Joannis Leonardi:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Joáninem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabiliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua familiam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis proficere; ut præmia consequámur æterna. (Per Dóminum.)

Postea Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.:

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. R. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui hodiéerna die beatum Dionýsium, Mártym tuum atque Pontíficem, virtúte constántia in passióne roborásti, qui que illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quássumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

G unthérus, nóbili divitéque Thuringénsi género ortus, dignitatē et méritis illústris, res hujus vitæ profánas aliquámdiu sectátus est; sed divína motus grátia ad sanctum Godehárdum abbátem, qui in monastério Hersfeldénsi disciplinæ restituéndæ causa morabátur, accéssit eique ómnia áni mi secréta summa pænitentia apéruit; póstea máxima sua bona monastério Hersfeldénsi et Gel-

lingénsi donávit, atque, ut religioso indueretur hábitu, exoptávit. Itaque in monastérium Altahénsē a sancto Godehárdo dedúctus est, eóque consentiente paulo post Romam peregrinari constituit, ut pro præteritae vitæ delictis satisfáceret. Inde revérsus depósito militári cíngulo hábitum monásticum índuit, Dei stipéndia meritúrus expletóque tirocínio frater convérsus se secúndum régulam sancti Patris Benedicti victúrum esse vovit. Deicta quadam ánni inconstántia insigni enítuit pænitentiae et modéstiae religiosæ stúdio; tandem permitténte sancto Godehárdo vitam solitáriam in Monte Ranzíngā inchoavit; exinde populi eum admirantis concúrsum fúgiens in saltus Silvæ Aquilonális se recépit, ubi várias gravésque tentatiónes superávit. Cum póstea plures oratiónis et labóris nactus esset sócios, consentiente et probante Henríco secundo hæc desérta cólere cœpit, et longe ab habitatióne hóminum ad rivum Rinch-nachéensem sibi suíisque

cellas extruxit atque oratorium cōdidiit, quod a Berengāro episcopo Passaviensi consecrādum et a Conrádo Sálico munificissime dotātum auctoritatē Henrīci tértii monastério Altahénsi adjungendū curávit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:
* Et dedit illi claritatēm ætérnam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Ibidem eum per multos annos pie morántem ac longe latéque hóminum fama celebrátum príncipes quoque familiárem habébant ejúsque secrétis utebántur consiliis. In his sanctus Stéphanus Hungáriæ rex, qui vel cognáitus vel affinis Gunthéri fuisse tráditur, ipso interveniente monastérium Beel in Silva Baconénsi cōdidiit et dotávit ac præterea multum pecúniae paupéribus, ecclésiis, cœnóbiis elargitus est. Eündem Henricus indóctum quidem, sed fama et eloquéntia insígnem ad

Liutícios regni sócios, quos in christiána religióne institúeret, misit. Imprímis. Gunthérus in Bohémis, quorum ducem Bretisláum e sacro baptísmatis fonte quandam suscéperat, summa florébat auctoritatē. Illius ducis antecéssor Udalricus éxsulans rogátu ejúsdem Gunthéri et provinciálium cómitum Ratisbónæ a Conrádo Sálico ducatum recépit. Et cum Henricus tértius, quocum pro meritorum probitaté máximis amicitiæ vínculis conjunctus erat, armis in Bohémiam illátis a Bretisláo cladem prope Tu-stam accepísset, Gunthérus cum legatióne ab eódem Henrico missus est, ut Saxónibus, qui ex Donin in Bohémiam irrue-rant eámque devastabán-tur, réditum suadéret et a Bretisláo, pacis auctor captivórum incolumitátem libertatémque impe-tráret.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stola glóriæ induit eum,
* Et ad portas paradísi cor-onávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

At bello iterum parató
Gunthérus Bretislao
amicissimus relícta Rinch-
nachénsi præpositúra
eam Bohémiae partem,
quam nunc Hartmanicén-
sem dícimus, pétit ibique
ad Aquas Bonas in mon-
te, qui nunc sancti Gun-
théri appellátur, plane so-
litárie vixit et quinquén-
nio post, præsentibus ut
tráditur duce Bretislao ac
Sevéro epíscopo Pragéni-
si, nonagenárius spíritum
Creatóri béata morte réd-
didit séptimo Idus Octó-
bris anno millésimo qua-
dragésimo quinto. Corpus
beati Gunthéri ad mona-
stérium Brevnoviénsis
jussu ipsius Bretislai de-
látum ibique in ecclésia
ante altare sancti Stéphani
Protomártyris honorifi-
centissime cónditum est.
Miráculis, quæ ad ipsius
túmulum in váriis hómi-
num calamitáibus non
raro fiébant, cælestis ejus
beatitudo comprobata est,
et fidéles, ut ipsum reli-
gióse cónservent, adducti
sunt. Qui cultus usque ad
novíssima témpora per-
mánsit, etsi inde ab ever-
sióne antiqui monastérii
et Brevnoviénsis ecclésiae

nihil satis constat, ubi
ejus sacrae reliquiæ repó-
sitæ sint. Cólitur enim
non solum in ecclésiis ór-
dinis sancti Patris Bene-
dicti Bohémiae, Moráviæ,
Silésiæ, sed etiám ad A-
quas Bonas, locum óbitus
sui, quo ecclésia parochi-
ális in honórem beati
Gunthéri dicáta, frequen-
tíssimo quotánnis cele-
brátur concúrsu fidélium,
qui memóriam ejus pie ré-
colunt ejusque patrocínium
implórant. Ibi etiam non
pauci usu aquárum
beato Gunthéro interce-
dente sanitátem mirabili-
ter receperunt.

R. Iste homo perfécit
ómnia quæ locútus est ei
Deus, et dixit ad eum: In-
grédere in réquiem me-
am: * Quia te vidi justum
coram me ex ómnibus
géntibus. **V.** Iste est, qui
contémpsit vitam mundi,
et pervénit ad cælestia
regna. **Quia.** Glória Patri.
Quia.

In III Nocturno Homilia in
Evangelium Nolite timére,
de Communi Confessoris non
Pontificis 2 loco.

Pro S. Joanne Leonardi

Lectio ix

Joánnes Leonárdi non
longe a Lucénsi urbe
ortus, a prima ætate grave

quiddam ac matúrum præse tuit. Annos natus vi-gínti sex a Deo vocátus ad ecclesiásticæ militiæ no-men dandum, primum in-ter púeros latínæ lingua-rudiméntis instrúctus, in littoris et philosóphicis ac theologicis disciplínis ádeo profécit, ut vix acto quadriénnio ad sacerdótium ex obœdiéntia promó-tus fúerit. Congregatió-nem instituit Clericórum Regulárium a Matre Dei, quorum cura et zelo in Lucénsi república magna animórum commutatio-perácta est. Hinc in acér-ri-mas hóminum nequam insectatiónes incidit, sed, æquo ánimo ómnia libén-ter ferens, a Gregório decimotértio suæ congregatió-nis confirmatióne im-petrávit. Gráviter dolens gentes plúrimas remótis in régionibus luce Evan-gélica carére, consiliis ínit-is cum piíssimo præsule Vives, cœtum instituit presbyterórum, quibus propósitu-m esset idóneos informáre adulescentes, in di-s-sitas régiones sub-indé mitténdos ad fidem propagándam. A sacro ministério numquam de-ficiens, in cínere et cilicio

ad Dóminum migrávit Romæ, die nona Octóbris, anno millésimo sexcenté-simo nono, et a Pio undé-cimo Sanctórum fastis adscriptus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dó-minus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui nos béati Gunthéri Confessóris tui ánnua sollempnité-lætificas: concéde propí-tius; ut, cujus natalitia cólimus, étiam actiones imitémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Leonardi:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dómi-nus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Joán-nem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabiliter ex-citáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidéli-bus novam in Ecclesiá tua familiáam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis proficere; ut præmia consequámur ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.:

Ant. Vestri capilli cápi-tis omnes numeráti sunt: nolite timére: multis pas-séribus melióres estis vos.

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui hodiérrna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontífi-cem, virtute constántiæ in passióne roborásti, qui-que illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: trí-bue nobis, quásimus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mun-di despícere, et nulla ejus adver-sa formidáre. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dó-minus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum * et terréna, triúmphans, divi-tias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

Deus, qui nos beáti Gunthéri Confessóris tui ánnua sollempnitáte lætificás: concéde propí-tius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiōnes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio se-quentis:

Ant. Similábo eum víro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra pe-tram.

V. Amávit eum Dómi-nus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitatis et exémplar et præmium: quásu-mus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effeci-sti, ita nos ejúsdem imita-tiōnis et glóriæ tríbuas esse consórtes: (Quivivis.)

Déinde S. Joannis Leonardi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

V. Os justi meditábitur sapiéntiam. **R.** Et lingua ejus loquéatur iudícium.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra 22*.

Die 12 Octobris

S. MAXIMILIANI

Episcopi et Martyris

Diocesenos Patroni

Duplex I classis cum Octava
communi

Omnia de Communi unius
Martyris præter ea, quæ hic
habentur propria.

V. Glória et honore coro-
ronásti eum, Dómine. **R.**
Et constituísti eum super
ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impíorum non timuit; fundá-
tus enim erat supra fir-
mam petram.

Oratio

Deus, qui nos beáti Maximiliáni Mártyris tui atque Pontificis ánnua sollemitáte lètificas: con-
céde propítius; ut, cuius

natalitia cólimus, de ejús-
dem étiam protectione
gaudeámus. Per Dómi-
num nostrum.

**Et fit Commemoratio præ-
cedentis:**

Ant. Matérnitas tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérsō mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

V. Benedícta tu in mul-
iéribus. **R.** Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Deus, qui de beatæ Ma-
riae Vírginis útero Ver-
bum tuum, Angelo nunti-
ánte, carnem suscípere
voluísti: præsta supplí-
bus tuis; ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédi-
mus, ejus apud te inter-
cessiónibus adjuvémur.
Per eúndem Dóminum.

In I Nocturno Lectiones A
Miléto, de Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Maximiliánuſ, Celéiaſ
in Pannónia christi-
ánis ac claris paréntibus
natus, ab ineúnte ætate in
timóre Dei litterarúmque
stúdiis educátuſ, præclá-
ræ semper índolis et sin-
guláris pietatiſ spéciem

præ se tulit. Annis adu-
lescentia cum magna vi-
tæ innocéntia et integritaté
exáctis, cum multis
præcélleret virtútibus, ta-
men benignitas in páupe-
res máxime in eo eníuit;
quorum egestati et misé-
riis sublevándis sic stú-
duit, ut opes étiam am-
plas, a paréntibus sibi re-
lictas, in egéntium usus
Christi nómine erogárit.
Quod benefaciéndi stúdi-
um per omnem vitam in-
signi cum laude cóluit.

R. Honéstum fecit illum
Dóminus, et custodívit
eum ab inimícis, et a se-
ductóribus tutávit illum:
***** Et dedit illi claritatém
ætéram. **V.** Descendít-
que cum illo in fóveam,
et in vínculis non derelí-
quit eum. **Et.**

Lectio v

Nec láruit virtútum ejus
splendor. Vacánte
enim episcopátu Laurea-
cénsi, communi totius cle-
ri populique voto epíscopo-
pus Laureacén sis, ipso
plúrimum sed frustra re-
luctánte, designátur. Quo
in múnere talem se cari-
tatis afféctu, humilitáte
profunda, patiéntia, om-
níque virtútum exercitio
exhibuit, qualem dignitá-

tis sanctitúdo postulábat.
Ad límina Apostolórum
Romam proféctus, accép-
ta a Sixto secúndo bene-
dictióne, ad suos revertí-
tur. Ubi in coléndo Dómi-
ni agro, magnis desúdans
labóribus, sanctíssimo vi-
tæ exémplo et salutáribus
mónitis multos ad salútis
viam perdúxit.

R. Desidérium ánimæ
ejus tribuísti ei, Dómine,
***** Et voluntáte labiórum
ejus non fraudásti eum.
V. Quóniam prævenísti
eum in benedictiónibus
dulcéinis: posuísti in cá-
pite ejus corónam de lá-
pide pretioso. **Et.**

Lectio vi

Cum jam per episcopá-
tum suum disseminá-
tæ fidei plantas, incre-
mémentum dante Dómino,
succréscere céneret, pá-
triæ in infidelitátis erróre
adhuc deténtæ misértus,
in Pannóniam ejus juván-
dæ zelo revertítur. Ubi
cum in umbra mortis se-
dentes prædicando ad lu-
men veritatis dirígere co-
narétur, ab Ejulásio præ-
side comprehénsus, ob
constantíssimam christi-
ánæ fidei confessióne,
cápitis obtruncatióne
martyrii glóriam adéptus

est. Ejus sacra ossa Pas-
sáviæ in basílica sancti
Stéphani débito honóre
adservántur.

R. Stola jucunditatis ín-
duit eum Dóminus: * Et
corónam pulchritúdini
pósuit super caput ejus.
V. Cibávit illum Dóminus
pane vitæ et intelléctus:
et aqua sapiéntiæ salutá-
ris potávit illum. **Et. Gló-**
ria Patri. **Et.**

In III Nocturno Homilia in
Evangelium Si quis venit ad
me, de Communi unius
Martyris 1 loco.

AD LAUDES

V. Justus ut palma flo-
rébit. **R.** Sicut cedrus Lí-
bani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit
* ánimam suam in hoc
mundo, in vitam ætérnam
custódit eam.

Oratio

Deus, qui nos beáti Ma-
ximiliáni Mártiris tui
atque Pontificis ánnua sol-
lemnité laetificas: con-
cédé propítius; ut, cujus
natalítia cólimus, de ejus-
dem étiam protectióne
gaudeámus. Per Dñm.

IN II VESPERIS

V. Justus, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Qui
vult venire post me, * áb-

neget semetípsum, et tol-
lat crucem suam, et se-
quátur me.

**Et fit Commemoratio se-
quentis:**

Ant. Similábo eum viro
sapiénti, qui ædificávit
domum suam supra pe-
tram.

V. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum. **R.**
Stolam gloriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátm regem
Eduárdum, Confessórem
tuum, æternitatis glória
coronásti: fac nos, quæ-
sumus; ita eum venerári
in terris, ut cum eo regná-
re possímus in cælis. Per
Dóminum nostrum.

**¶ Infra Octavam, excepta
die 18, de ea fit Commemo-
ratio juxta Rubricas.**

Die 19 Octobris

IN OCTAVA
S. MAXIMILIANI

Episcopi et Martyris

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad
omnes Horas et Versus Noctu-
norum de occurrenti heb-
domadæ die ut in Psalterio;
reliqua ut in Festo præter
Lectiones quæ in I Nocturno
dicuntur de Scriptura occur-
renti cum suis Responsoriis
de Tempore, in II et III ut
infra.

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Maximiliáni Mártiris tui atque Pontíficis ánnua solemnítate lètificas: concéde propítius; ut, cùjus natalitia cólimus, de ejúsdem étiám protectione gaudéamus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Com. S. Petri de Alcantara:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui aëdificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pæniténtiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignáta es: da nobis, quæsumus; ut, ejus suffragán-

tibus méritis, carne mortificáti, facilius cælestia capiámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Lectio iv

Tempus animadvértite, fratres, quo dignitátem episcopálem beátorus Maximiliánuſ est assecútus. Neque enim est éadem nunc, quæ tunc erat, ecclésiam gubernándi condício: non aequális est labor, viam tritam et pláne parátam post multos ingredi viatóres; atque eam, quæ nunc primo se-cánda est, quæque præ-rúpta et saxósa ferísque plena, nec ullum adhuc viatorem admísit. Tunc autem, quocúmque quis óculos vérteret, ubique præcipítia, bárathra, et bella, et pugnæ, et perícula: imperatóres et re-ges, et pópoli, et civitátes, et gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívít eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aëternam. **V.** Descendít-

que cum illo in fóveam, et
in vínculis non derelíquit
eum. Et.

Lectio v

Quemádmodum igitur
gubernatórem admí-
rámur, non quod vectóres
possit in portum incólumes
dúcere, cum mare
tranquíllum est, cumque
navis fertur ventis secún-
dis: sed cum insaniénte
péLAGO, ventisque sávién-
tibus, qui in navi sunt in-
ter se dissíentient, magna
tempestáte intus et foris
navigántes exagitánte,
navim tamen potest diri-
gere et conserváre; sic
eos, qui tunc ecclésiam
regébant, multo magis
quam illos, qui eam in
præséntia gubérnant, su-
spícere debémus et admi-
rári, quando multa bella
intus et foris: quando fi-
dei planta imbecíllior
erat adhuc, et diligéntia
magis indigébat: quando
véluti modo génitus in-
fans Ecclésiæ pópulus,
magnam providéntiam at-
que sapiéntiam ánimæ, a
qua nutriéndus esset, po-
stulábat.

R. Desidérium ánimæ
ejus tribuísti ei, Dómine,
Et voluntáte labiórum
ejus non fraudásti eum.

V. Quóniam prævenísti
eum in benedictióibus
dulcédinis: posuísti in cá-
pite ejus corónam de lá-
pide pretiósso. Et.

Lectio vi

Verum ne totum tem-
pus in episcopátus
consideratióne collocán-
tes, ab iis quæ ad eum ut
Mártyrem spectant enar-
rándis excludámur, age
ad illius certámina con-
tendámus. Versútus enim
diábolus, et ad struéndas
aptus insídias, existimá-
bat, si pastóres sustulís-
set, ovilia se fácile direp-
túrum. Sed qui compre-
héndit astútos in eórum
astútia, osténdens ecclé-
sias suas non ab homíni-
bus gubernári, sed eos, qui
in ipsum credunt, semper a se regi; id fieri
permittébat, ut cum cé-
neret, rectóribus sublátis,
non tamen religiōnem dé-
léri, nec veritátis prædi-
cationem extíngui, sed
pótius augéri; ex rebus
ipsis et ipse et qui ei in-
serviébant, omnes intel-
légerent, Christianórum
disciplinam non ab homíni-
bus pendére, sed et in
cælis radíces ágere. De-
úmque esse, qui ubique
ecclésias tueréntur.

R. Stola jucunditatis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritudinis pósuit super caput ejus.
V. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 14, 26-33

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni
Episcopi

Epistola 38

Sumptus ad turrim ædificandam et bellántium valéntia decem milíum advérsus regem, qui vigínti millia habet, nihil est áliud, quam ut renútiaret unusquisque ómnibus, quæ sunt ejus. Prælocútio autem supérior cum extréma conclusióne concórdat: in eo enim, quod unusquisque renún-

tiat ómnibus quæ sunt ejus, étiam illud continéatur, ut óderit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc et ánimam suam. Omnia enim hæc pròpria ejus sunt, quæ plerūmque implicant, et impédiunt ad obtinénda, non ista pròpria temporáliter transitúra, sed in ætérnum mansúra com-múnia.

R. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitatis, glória honóris, et opus fortitudinis. **V.** Quóniam prævenisti eum in benedictiōnibus dulcédinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. Expréssa.

Lectio viii

Nec succénsent paréntes, hoc præcipere Dóminum, ut eos odéri-mus, quando nobis hoc de áнима nostra præcipitur. Sicut autem hoc præcéptum, quo pérdere jubémur ánimam nostram, non ad id valet, ut se quisque intérimat, quod inexpiáibile nefas est; et tamen valet, ut intérimat in se carnálem ánimæ afféctum, quo cum impediménto futuræ vitæ præsens vita

delectat: ita de paréntibus rectissime dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidárum interficiens, sed spiritáli gládio verbi Dei carnálem afféctum eórum, quod et seípsos et eos, quos genuerunt, irritaméntis hujus sáculi obligáre coñantur, pie fidentérque percútiens et occídens, illud in eis vivere fáciat, quo, cum filiis suis temporálibus, paréntes ætérnos Deum Ecclesiámque cognoscunt.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómíne sanguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non timuit, nec terrénæ dignitatis glóriam quæsívít, sed ad cælestia regna pervérit. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Qui.** Glória Patri. **Qui.**

Pro S. Petro de Alcantara:

Lectio ix

Petrus, Alcántaræ in Hispánia nobílibus paréntibus natus, décimo sexto ætatis anno órdinem Minórum ingrèssus, se ómnium virtútum, præcipue paupertatis et casti-

tatis, exémplar exhibuit et innúmeros, verbi Dei prædicatióne, a vitiis ad pæniténtiam tradúxit. Primávum sancti Francisci institútum reparare studens, in angustíssimo et paupérrimo cœnóbio, juxta Pedrósum exstrúcto, aspérimum vitæ genus feliciter incépit, quod deinde mirifice propagátum est. Sancta Terésia, cujus probáverat spíritum et a qua sanctus vivens passim vocabátur, in promovenda Carmelítárum reformatiōne adjútor fuit. Contemplatiónis et miraculórum grácia insígnem, dono prophetiæ ac discretiōnis spírituum imbútum fuisse éadem sancta Terésia testátur. Dénique, annum agens sexagésimum tértium, migrávit in cælum. Quem beáta Terésia mirábili glória renidéntem per visum conspéxit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

Oratio

Deus, qui nos beáti Maximiliáni Mártyris tui atque Pontificis ánnua solemnítate létificas: concéde propítius; ut, cuius natalitia cólimus, de ejusdem étiam protectione gaudeámus. Per Dñm.

Et fit Com. S. Petri de Alcantara:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beatum Petrum Confessórem tuum admirábilis pánitentiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es: da nobis, quæsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facilius cælestia capiámus. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

V. Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult venire post me, * abneget semetipsum, et tol-

lat crucem suam, et séquátur me.

Et fit Commemoratio sequentis:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, sancti Joánis Confessóris exémplo in scíentia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes; ejus méritis, indulgéntiam apud te consequámur. (Per Dóminum.)

Deinde S. Petri:

Ant. Hic vir despícens mundum et terréna, tríumphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

V. Justum et Oratio Deus, qui beatum, ut supra.

Die 22 Octobris

In Ecclesiis consecratis,
excepta Cathedrali

IN DEDICATIONE
ECCLESIAE PROPRIÆ
Duplex I classis cum Octava
communi

Omnia de Communi Dedi-
cationis Ecclesiæ ut in Bré-
viario.

¶ Die 24 de Octava fit Com-
memoratio juxta Rubricas.

Diebus 23, 25, 26 et 27 fit
de ipsa Octava, die 29 autem
de die Octava: Antiphona et
Psalmi ad omnes Horas et
Versus Nocturnorum sumun-
tur de occurrenti hebdoma-
dæ die, ut in Psalterio; reli-
qua ut in Festo præter Lec-
tiones, quæ in I Nocturno
dicuntur de Scriptura occur-
renti cum suis Responsoriis
de Tempore, in II et III pro
singulis diebus assignantur
propriæ.

Lectio IX autem dicitur de
Officio simplici, quoties oc-
currat.

Die 31 Octobris

S. WOLFGANGI

Episcopi et Confessoris

Duplex

V. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum. **R.**
Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacér-
dos et Póntifex, * et vir-
tutum ópifex, pastor bone
in pôpulo, ora pro nobis
Dóminum.

Oratio

Deus, qui nobis aeternæ
salútis beatum Wolfgangum
Episcopum miní-
strum tribuisti: præsta,
quæsumus; ut, quem doc-
torem vitæ habúimus in

terris, intercessórem ha-
bére mereámur in cælis.
Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Wolfgángus nóbili in
Suévia génere pro-
gnátus, rerum exterárum
fuit et sui contémptor
egrégius, solum ex ánimo
Deum quærens: honóres
amplíssimos ab Henríco
Trevírénsium epíscopo
sibi oblátos recusávit; il-
lóque demortuo, pollici-
tationibus aliórum con-
témpsis, monásticam tan-
dem vitam, cujus semper
desidério flagráverat, est
ampléxus. Sacris ordíni-
bus a beáto Udalríco ini-
tiátus, cum in Pannóniam
prædicándi evangélii cau-
sa se prius contulísset,
propter conjúntam in eo
exímia cum pietáte pru-
déntiam, Ottónis impera-
tóris stúdio, totiúsque cle-
ri et pôpuli acclamatióne,
ecclesiæ Ratisbonéni rite
præficitur.

R. Invéni David servum
meum, óleo sancto meo
unxi eum: * Manus enim
mea auxiliábitur ei. **V.**
Nihil proficiet inimicus in
eo, et filius iniquitatis
non nocébit ei. **Manus.**

Lectio vii

Suscépto episcopátus múnere, gregem Dómini verbo pavit, et exémplo, sanctissimísque ecclésiam temperávit instítutis. Monastério sancti Emmerámi, quod jam diu epíscopi administráverant, restitútis provéntibus, magno illius bono, insignem virum Romuál-dum præpósuit. Sancti-moniálium cœnóbium, quod ipse fundáverat, tam sancte instituit, ut collápsa in áliis disciplína eo exémplo sit fácile restauráta, novóque pietá-tis odore capta Brígida, Baváriæ ducis filia, spon-sum Christum secúta, ad sacras se vírgines aggredárit. Bohémis, quo amplióra apud illos fides incremén-ta cáperet, contémpto suae ecclésiæ detriménto, rejéctis aliórum consiliis, próprium dari episcopum libentíssime permísit.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sanc-to meo unxi eum. **M**anus.

Lectio vi

Egrégiam viri sanctitátem comprobárunt energúmeni, et váriis lan-guóribus oppréssi, quos precatiōne sanávit. Diví-no afflátus instínctu, sanctum Henrícum imperatórem regnatúrum, fratrem ipsius Brunónem ad epi-scopátum promótum iri, e soróribus álteram regínam, abbatíssam álteram fore prædixit. Dénique cum vigínti et ámplius annis in séduli pastóris múnere peráctis, extrémum sibi diem imminére intel-legeret, quæ ex usitáta li-beralitaté supérerant, per manus páuperum præmí-sit, sacræque Eucharístiæ Viático præmunítus, in sancti Otmári aede, uti di-vinitus ántea futúrum ac-céperat, sanctíssimam vi-tam pari morte conclúsit, Ratisbónæ in templo sancti Emmerámi sepúltus.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes ope-rátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro pec-cátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémp-sit vitam mundi, et per-

vénit ad cælestia regna.
Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in
Evangelium Vigiláte, de Com-
muni Confessoris Pontificis
2 loco.

Pro Vigilia
Omnium Sanctorum:

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio ix Cap. 6, 17-23

In illo témporte: Descén-
dens Jesus de monte,
stetit in loco campéstri,
et turba discipulórum
ejus, et multitúdo copiosa
plebis ab omni Judæa, et
Jerúsalem, et marítima,
et Tyri, et Sidónis. Et ré-
liqua.

Homilia
sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 in Luc. cap. 6, post init.

Advérte ómnia diligén-
ter, quómodo et cum
Apóstolis ascéndat, et
descéndat ad turbas.
Quómodo enim turba nisi
in húmili Christum vidé-
ret? Non séquitur ad ex-
célsa, non ascéndit ad
sublímia. Dénique ubi de-
scéndit, invénit infírmos;
in excélsis enim infírmi
esse non possunt. Hinc
étiam Matthæus docet in
inferiòribus débiles esse
sanátos. Prius enim unus-

quisque sanándus est, ut
paulátim virtútibus pro-
cedéntibus ascéndere pos-
sit ad montem. Et ídeo
quemque in inferiòribus
sanat, hoc est, a libídine
révocat, injúriam cæcítá-
tis avértit. Ad vúlnera
nostra descéndit; ut usu
quodam et cópia suæ na-
túræ, compartícipes nos
fáciat esse regni cælestis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas. **R.**
Et osténdit illi regnum
Dei.

Ad Bened. **Ant.** Euge,
serve bone * et fidélis,
quia in pauca fuísti fidé-
lis, supra multa te constí-
tuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis æternæ
salútis beátum Wolf-
gángum Epíscopum mini-
strum tribuísti: præsta,
quæsumus; ut, quem doc-
tórem vitæ habúimus in
terrís, intercessórem ha-
bére mereámur in cælis.
Per Dóminum nostrum
Jesum Christum, Fílium
tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Vigi-
liae: Antiphona et Versus
de Feria currenti.

Oratio

Dómine, Deus noster,
multíplica super nos grá-
tiam tuam: et, quorum
prævenimus gloriósa sol-
lémnia, tribue súbsequi
in sancta professióne læ-
titiam. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti sine
Com. præcedentis.

Die 5 Novembri

SACRARUM
RELIQUIARUM
quaæ in Ecclesiis

Dicæceseos asservantur

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. Eccli. 44, 14-15

Córpora Sanctórum in
pace sepulta sunt, et
nomen eórum vivit in ge-
nerationém et generatió-
nem. Sapiéntiam ipsórum
narrent pópuli, et laudes
eórum nuntiet Ecclésia.

Hymnus

Cives beátæ pátriae,
Cælestis urbis íncolæ,
Sacrata quorum córpora
Jam colit nostra pátria:

Jucúnda vobis cántio
Et nostra sit laudálio,
Audíte cum laudámini,
Donáte, quod rogámini.

Pontífices et Mártyres,
Salváte cuncti míllies,

Te laudet univérsitas
Rerum, beáta Trinitas.
Amen.

V. Lætámini in Dómino
et exsultáte, justi. **R.** Et
gloriámini omnes recti
corde.

Ad Magnif. Ant. O quam
gloriósum est regnum, *
in quo cum Christo
gaudent omnes Sancti;
amicti stolis albis se-
quuntur Agnum, quo cùm
que ierit.

Oratio

Propitiáre, quás sumus,
Dómine, nobis fámu-
lis tuis, per Sanctórum
tuórum, quorum hic ha-
bentur relíquiæ, et patro-
cínia venerámur, mérita
gloriósa: ut eórum pia in-
tercessióne, ab ómnibus
semper protegámur ad-
vérsis. Per Dóminum no-
strum.

**Et fit Commemoratio præ-
cedentis:**

Ant. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum: sto-
lam gloriæ índuit eum, et
ad portas paradísi coro-
návit eum.

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas. **R.**
Et osténdit illi regnum
Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómino, sancti Cároli Confes-
soris tui atque Pontíficis contínua protectióne cu-
stodi: ut, sicut illum pa-
storális sollicitúdo glo-
riósū reddidit; ita nos
ejus intercessio in tuo
semper fáciat amóre fer-
ventes. (Per Dóminum
nostrum.)

**Deinde Commemoratio Oc-
tavæ Omníum Sanctorum:**

Ant. Te gloriósus Apo-
stolórum chorus, te Pro-
phetárum laudábilis númerus, te Mártirum can-
didátus laudat exércitus;
te omnes Sancti et électi
voce confitentur unáni-
mes, beáta Trinitas, unus
Deus.

V. Exsultábunt Sancti
in glória. **R.** Lætabúntur
in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne
Deus, qui nos omníum
Sanctórum tuórum mérita
sub una tribuísti cele-
britáte venerári: quásu-
mus; ut desiderátam no-
bis tuæ propitiatiónis ab-
undántiam, multiplicátais
intercessóribus, larsiáris.
Per Dóminum nostrum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Regem regum Dó-
minum, veníte, adorémus:
* Quia ipse est coróna
Sanctórum omníum.

Ps. 94 Veníte, exsulté-
mus.

Hymnus Cives, ut supra
34*.

In I Nocturno

Antiphonæ, Psalmi et Ver-
sus trium Nocturnorum ut in
Festo Omníum Sanctorum.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 44, 1-5

Laudémus viros glorió-
sos et paréntes no-
stros in generatióne sua.
Multam glóriam fecit Dó-
minus magnificéntia sua
a século. Dominántes in
potestáribus suis hómines
magni virtúte, et prudé-
ntia sua præditi, nuntián-
tes in prophétis dignitá-
tem prophetárum, et im-
perántes in præsénti pô-
pulo, et virtúte prudéntiæ
pópulis sanctissima ver-
ba. In perítia sua requi-
réntes modos músicos, et
narrántes cármina scrip-
turárum.

R. Córpora Sanctórum
in pace sepúlta sunt, * Et
nómína eórum vivent in
generatióne et genera-
tióne. **V.** Sapiéntiam
sanctórum narrént pôpu-

li, et laudem eórum prouintiet omnis ecclésia. Et nómina eórum vivent in generationem et generationem.

Lectio ii Cap. 44, 6-9

Hómines dívites in virtute, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt quorum non est memória: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsórum cum ipsis.

R. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas Sancti Dei persitérunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis et una fides. **V.** Ecce, quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! Quia.

Lectio iii Cap. 44, 10-15

Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuerunt: cum sémine eórum pémanent bona, heréditas sancta ne-pótes eórum, et in testa-

méntis stetit semen eórum. Et filii eórum propter illos usque in aeternum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepulta sunt, et nomen eórum vivit in generationem et generationem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum nuntiet Ecclésia.

R. Sancti per fidem vicérunt regna; operáti sunt justitiam, adépti sunt repromissiones: * Omnes testimónio fidei probáti. **V.** Castra verterunt exterórū; effugáverunt áciem gládii. Omnes. Glória Patri. Omnes.

In II Nocturno

Sermo sancti Bedæ
Venerabilis Presbýteri
Sermo 18 de Sanctis

Lectio iv

Ad hanc igitur óperum salutárium delectet nos pervenire palmam. Libénter ac prompte certémus; omnes in agóne spectánte, currámus; et, qui sǽculo et mundo májores esse jam cécipimus, cursum nostrum nulla sǽculi cupiditatē tardémus.

Si expeditos, si céleres in óperis agóne curréntes, dies nos últimus invénerit, nusquam Dóminus méritis nostris déerit remunerátor.

R. Lætabitur justus in Dómino et sperábit in eo,
* Et laudabúntur omnes recti corde. **V.** Lætámíni in Dómino et exsultáte, justi. **Et.**

Lectio v

Qui corónam in perse-
cutiōne purpúream pro passióne donábit, ipse in pace vincéntibus, pro justitiæ méritis, dabit et cándidam. Nam nec Abraham nec Isaac nec Jacob occisi sunt, et tamen, fí-dei et justitiæ méritis honórati, inter Patriárchas primi esse meruérunt; ad quorum congregátur convívium, quisquis fidélis et justus et laudábilis invenítur. Mémores esse debémus, voluntátem non nostram, sed Dei fáceré debére; quia, qui fécerit ejus voluntátem, manet in æténum, quómodo et ille manet in æténum.

R. Tamquam aurum in fornáce probávit éléctos Dóminus et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in tempore erit re-

spéctus illórum: * Quóniam donum et pax est éléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intélligent veritátem, et fidéles in dilectione acquiéscēt illi. Quóniam.

Lectio vi

Quapropter, caríssimi, mente íntegra, fide firma, virtúte robústa, carítate perfécta, paráti ad omnem voluntátem Dei simus, conservántes fórtiter Domínica mandáta: in simplicitáte innocéntiam, in carítate concórdiam, modéstiam in humiliáte, diligéntiam in administratiōne, vigilántiam in adjuvándis laborántibus, misericórdiam in fovéndis paupéribus, in defendénda veritáte constántiam, in disciplinæ severitáte censúram, ne áliquid ad exemplum bonórum factórum desit in nobis. Hæc sunt enim vestígia, quæ nobis Sancti quique, reverténtes in pátriam, reliquérunt, ut, illórum sémitis inhæréntes, sequéremur et gáudia.

R. Gaudéte in Dómino:

* Rectos decet collaudatio. **V.** Cantáte ei cánticum novum: bene psállite ej in vociferatiōne. **Rectos.** Glória Patri. **Rectos.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía
sancti Augustíni Epíscopi
Liber 1 de Sermone Domini
in monte, cap. 3 et 4

Itaque in hoc tértio gradu, in quo scíentia est, lugéatur amíssio summi boni, quia inhærétur extrémis. In quarto autem gradu labor est; ubi vheménter incúmbitur, ut sese ánimus avéllat ab eis, quibus pestifera dulcédine innéxus est. Hic ergo esurítur et sitítur justitia, et multum necesária est fortítudo; quia non relínquitur sine dolore, quod cum delectatione retinéatur. Quinto autem gradu perseverántibus in labóre datur evadéndi consílium; quia, nisi quisque adjuvétur a superióre, nullo modo si bì est idóneus, ut sese tantis miseriárum implícamentis expédiat. Est autem justum consílium,

ut, qui se a potentióri adjuvári vult, adjuvet et infirmórem, in quo est ipse poténtior. Itaque, Beáti misericórdes; quia ipsórum miserébitur Deus.

R. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine: *
Et ætérnitas téporum.
V. Lætítia sempitérna su-
per cápita eórum: gáudi-
um et exsultatióne obtinébunt. **Et.**

Lectio viii

Sexto gradu est cordis munditía de bona consciéntia bonórum óperum, valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro et sereno intelléctucerni potest. Postrémo est séptima ipsa sapiéntia, id est, contemplatió veritatis, pacíficans totum hóminem, et suscípiens similitúdinem Dei, quæ ita conclúditur: Beáti pacifici; quóniam ipsi filii Dei vocabúntur. Octáva tamquam ad caput redit, quia consummátum perfectumque osténdit et probat. Itaque in prima et in octáva nominátum est regnum cælórum: Beáti páuperes spíritu; quóniam ipsórum est regnum cælórum: et, Beáti, qui

persecutionem patiuntur
propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum
caelorum.

R. Pretiosa in conspectu
Domini: * Mors Sanctorum
eius. **V.** Custodit Dominus
minus omnia ossa eorum;
unum ex his non conteretur. **Mors.** Gloria Patri.
Mors.

Lectio ix

Cum jam dicitur: Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem sunt ergo, quae perficiunt; nam octava clarificat, et quod perfectum est, demonstrat, ut per hos gradus perficiantur et ceteri, tamquam a capite rursum exordiens. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus Sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis; nam ibi enumeratio ab excellentioribus cepit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia Dei, et desinit ad timorem Dei; sed initium sapientiae timor Domini est.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

Ant. 1 Gaudent * in caelis animae Sanctorum,
qui Christi vestigia sunt
secuti; ideo cum Christo
exsultant sine fine.

Psalmi de Dominicis.

2 Qui diligitis * Dominum,
laetamini in Domino,
et confitemini memoriae
sanctitatis ejus.

3 Beati omnes, * qui
esperant in te, Domine, qui
ambulant in aequitate; in
secula saeculorum laudabunt te.

4 Benedicte * Dominum,
omnes electi ejus:
agite dies laetitiae et
confitemini illi.

5 Hymnus omnibus *
Sanctis ejus; filiis Israel,
populo appropinquanti sibi:
gloria haec est omnibus
Sanctis ejus.

Capit. Eccli. 44, 14-15

Corpora Sanctorum in
pace sepulta sunt, et
nomen eorum vivit in
generationem et generationem.
Sapientiam ipsorum
narrent populi, et laudes
eorum nuntiet Ecclesia.

Hymnus

Sacras reliquias,
Atque supertites
Sanctorum cineres,
Ossaque Caelitum

Sollēmni cármine
Cánimus hódie.

Sanctæ sit Tríadi.
Laus pia júgiter,
Quam cum Caelítibus
Nos quoque cánimus,
Qui nobis ímpetrent
Æterna gáudia. Amen.

V. Exsultábunt Sancti
in glória. **R.** Lætabúntur
in cubílibus suis.

Ad Bened. **Ant.** Justórum
ánimæ * in manu Dei
sunt, et non tanget eos
torméntum mortis: visi
sunt oculis insipiéntium
mori; illi autem sunt in
pace.

Oratio
Propitiáre, quásumus,
Dómine, nobis fámiliis
tuis, per Sanctórum
tuórum, quorum hic ha-
bentur reliquiæ, et patro-
cínia venerámur, mérita
gloriósa: ut eórum pia in-
tercessióne, ab ómnibus
semper protegámur ad-
vérsis. Per Dóminum no-
strum.

**Et fit Commemoratio Octa-
vae Omníum Sanctorum:**

Ant. Te gloriósus Apo-
stolórum chorus, te Pro-
phetárum laudábilis nú-
merus, te Mártyrum can-
didátus laudat exércitus;

te omnes Sancti et élécti
voce confiténtrur unáni-
mes, beáta Trímitas, unus
Deus.

V. Lætámini in Dómino
et exsultáte, justi. **R.** Et
gloriámini, omnes recti
corde.

Oratio

Omnípotens sempitérne
Deus, qui nos ómnium
Sanctórum tuórum mérita
sub una tribuísti celebri-
tate venerári: quásumus;
ut desiderátam nobis tuæ
propitiatiónis abundánti-
am, multiplicátis inter-
cessóribus, largiáris. Per
Dóminum.

**Ad Horas Antiphonæ et
Psalmi de Feria; ad Primam
Lectio brevis Fulgébunt, ut
infra.**

AD TERTIAM

Capit. Eccli. 44, 14-15
Córpora Sanctórum in
pace sepulta sunt, et
nomen eórum vivit in ge-
neratióñem et generatió-
ñem. Sapiéntiam ipsórum
narrent pópuli, et laudes
eórum núnctiet Ecclésia.

R. br. Lætámini in Dó-
mino, * Et exsultáte, ju-
sti. Lætámini. **V.** Et glo-
riámini, omnes recti cor-
de. Et exsultáte. Glória
Patri. Lætámini.

V. Exsultent justi in conspectu Dei. **R.** Et delectentur in laetitia.

AD SEXTAM

Capit. Sap. 10, 17

Réddidit Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

R. br. Exsultent justi * In conspectu Dei. **Exsultent.** **V.** Et delectentur in laetitia. In. Glória Patri. **Exsultent.**

V. Justi autem in perpétuum vivent. **R.** Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capit. Sap. 3, 7-8

Fulgébunt justi, et tamquam scintillæ in a-rundinéto discurrent. Judicábunt natiōnes, et dominabúntur pópolis: et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

R. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. **V.** Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Justi.

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus 39*: Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum.

A Capitulo fit de sequenti cum Commemoratione præcedentis et Octavæ Omnia Sanctorum.

Die 6 Novembris

S. LEONARDI

Abbatis

Duplex

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Intercéssio nos, quássumus, Dómine, beáti Leonárdi Abbátis coméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. In cælestib[us] regnis Sanctórum habitatio est, et in ætérnum réquies eórum.

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Propitiare, ut supra 40*

Deinde Commemoratio Octavæ Omnitum Sanctorum:

Ant. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit!

V. Lætamini in Dómino et exsultate, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Omnípotens sempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Leonárdus sub Anástasio imperatóre claris et magnæ apud Clodovéum regem dignitatis et auctoritatis ortus paréntibus, terréni regis milítia perquam honoráta amóre cælestium spreta, in ipso adulescentiæ róbore ad spirituális militiæ castra sub beáto Remígio stipéndia factúrus confúgit, a quo cum pri-mis didicit, opéribus mi-

sericórdiæ nihil in hac vi-ta púlchrius, nihil suávi-us, nihil Deo hominibús que grátius esse. Horum igitur stúdio tantum proficiébat, ut fama ejus mi-ro præcónio celebraréatur; oblátos quoque a rege ho-nóres declínans, Auréliam conténdit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Cælesti deinde móritus oráculo in Aquitániā migrávit, ubi, quóniam adhuc recens erat christiána relígio, nefáriæ superstitionis reliquiae in multórum pectóribus relictæ hærébant. Ut igitur vir Dei eas profligaret, dictis factisque Christum annúntians, magnos faciébat fructus; fugábat dæmones, surdos, clau-dos, cæcos, mórbidos quoscumque ad ipsum venientes verbo curábat. Reginam quoque ipsam illo témpore ex partu cum mortis dolóribus conflic-

tántem, a rege humiliter
rogátus, mox suis ad De-
um précibus partus dif-
ficultate liberávit.

R. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum: sto-
lam glóriae induit eum, *
Et ad portas paradísi cor-
ronávit eum. **V.** Induit
eum Dóminus lorícam fi-
dei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Tanto benefício gavíssus
rex Leonárdo múnera
ália recusánti nemus do-
návit, in quo vitam, quam
omnino élégerat, solitá-
riam dégere posset, ubi
oratórium nómine Nobili-
ácam eréxit. Latére au-
tem ipsum summa ejus
virtus non patiebátur, sed
plúrimi ex longínquis ad
eum venére régionibus,
sola nóminis ipsius invoca-
tione e vinculis et car-
céribus liberáti, cómpedes
et caténas ad ejus
pedes dévote abjíentes:
quos ipse, sicut et álios
omnes cælestis disciplí-
næ amatóres ex variis lo-
cis ad ipsum configuién-
tes, paréntis instar com-
pléctens, in timore Dó-
mini educábat, fovebá-
que virtútum splendóre
exímio. Plenus dénique
méritis et virtútibus, ac

miraculórum glória, octá-
vo Idus Novémbris, anno
Dómini quingentésimo
quinquagésimo nono ob-
dormívit in Dómino.

R. Iste homo perfécit
ómnia quæ locútus est ei
Deus, et dixit ad eum: In-
grédere in réquiem meam:
* Quia te vidi justum co-
ram me ex ómnibus gén-
tibus. **V.** Iste est, qui
contémpsit vitam mundi,
et pervénit ad cælestia
regna. Quia. Glória Pa-
tri. Quia.

In III Nocturno Homilia in
Evangelium Ecce, nos reliqui-
mus, de Communi Abbatum
1 loco.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas. **R.**
Et osténdit illi regnum
Dei.

Ad Bened. Ant. Euge,
serve bone * et fidélis,
quia in pauca fuísti fidé-
lis, supra multa te constí-
tuam, intra in gáudium
Dómini tui.

Oratio

Intercéssio nos, quásu-
mus, Dómine, beáti
Leonárdi Abbátis com-
méndet: ut, quod nostris
méritis non valémus, ejus
patrocínio assequámur.
Per Dóminum nostrum.

Eto fit Commemoratio Octavae Omníum Sanctorum: ov
Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártirum candidátus laudat exércitus; te omnes Sancti et eleécti voce confiténtur unáni- mes, beáta Trínitás, unus Deus.

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum * et terréna, triúmphans, di- vítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio
Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Leonárdi Abbátis com-

médet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio se- quentis diei infra Octavam Omníum Sanctorum:

Ant. Angeli, Archángeli, Throni et Dominationes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chéribim atque Séraphim, Patriárchæ et Prophétæ, sancti legi Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártires, sancti Confessóres, Vírgenes Dómini, Anachorítæ, Sanctique omnes, intercédite pro nobis.

V. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio Omnipotens, ut supra.

Die 13 Novembri

S. STANISLAI
KOSTKÆ
Confessoris

Duplex (m. t. v.)

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui inter cétera sapiéntia tuæ mirácula, étiam in ténera ætate matúræ sanctitatis grátiam contulisti: da, quæsumus; ut beáti Stanislái exémplo, tempus instánter operándo rediméntes, in ætéram in-gredi réquiem festinémus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semet-ípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

V. Justus ut palma flo-rebit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætére, placátus inténde: et per béatum Martínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem per-pétua protectione custódi, quem totíus Ecclésiae præstitisti esse pastórem. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Didaci Conf.:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, tri-úmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositiōne mirábili infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas: concéde propitius humilitati nostræ; ut, piis beáti Dídaci Confessoris tui précibus, ad perénnum in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno**Lectio iv**

Stanisláus, senatória gente Kostka ortus in Polónia, quam olim esset milítiā secuturus, nomen Jesu prænuntiávit, paritúrae matris grémio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita cóluit, ut patérra in mensa si quid minus pudice dictum audísset, præ horrore exánimis corrúeret. Ad Viennése in Austria seminárium studiorum causa missus, non minus exémplo sodálibus quam veneratiōni fuit. Coáctus inde in Lutheráni hóspitis ædes migráre, ibique a Paulo fratre ad liberiō-

rem vitam omni étiam asperitatum génere incitátus, domésticum bellum toto biénno constantissime sustinuit, ad æterna se, non ad cadúca natum affirmans. Itaque únicum illi erat rerum cælestium desidérium, perpétua cum Deo consuetudo, cultus Deíparæ ádeo tener, ut matrem suavissime appelláret.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum:
* Et dedit illi claritátem æternam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Quotidiánæ fratriis vexatióni crebra ipse jejunia, flagélla, aliósque insóntis corpúsculi cruciátus adjiciens, lethálem in morbum ícidit. Quo ingravescénte, cum dæmonem horréndi canis spécie insilientem signo crucis ter fugásset, sacram Viáticum, quod in hærética domo decumbens frustra ab homíni bus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Je-
su compléxum a beatissi-

ma ejus Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito conváluit. Sed cum áditum ad illam patris timor in Germánia præclúderet, peregríni hábitu, solus, pedes, mendícus fugam árripit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prósperum fuit. Nam præter ália, Pauli prófugum fratrem jam sequéntis equi, immísso divinitus torpore, constítrunt: et Stanisláus Angelórum pane íterum angélico ministério reféc-
tus, post duodécies centéna pássuum millia, tandem Romæ in Societátem Jesu a sancto Francisco Bórgia generáli præpósito méruit cooptári.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum,
* Et ad portas paradísi corronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Tirónis emériti virtútes in religiósæ vitae palæstra splendídius eluxére; cáritas præsértim erga Deum, in quem assídue alienáta a sénibus mente

rapiebátur. Inde illi fácies semper accénsa, nonnúmquam rádians, perénnes lácrimæ; ardor péctoris tantus, ut média quoque hième foret ingésta idéntidem gélida temperán-dus. Itaque amóre vérius quam febri áestuans, die assúmptæ in cælum Virgini sacro, ad ejus triumphálem pompam própius, ut optáverat spectándam, ab ipsa beatárum Vírginum choro stipáta vocá-tus est ex Quirinálí domo probationis, anno inno-céntis vitæ décimo octávo, óperum plénior quam diérum. Multis post óbi-tum miráculis in sua præ-sértim Polónia eníut; cujus armis contra formidábiles Turcárum exérci-tus spectabilis e cælo ad-fuit non semel, et civitátes álias peste, álias incéndio liberávit. Quam ob rem Clemens décimus eum inter primários totius regni patrónos constituit; Benedíctus vero décimus tértius (quod a Cleménte undécimo jamprídem fü-erat decretum) in Sanctórum númerum réttulit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: In-grédere in réquiem meam:

* Quia te vidi justum co-ram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Quia.** Glória Patri. **Quia.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 13-21

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi

Psalmus 118

Quid párvulus, nisi hú-milis? Hæc sunt mi-rabilia testimónia tua, Dómine, quæ scrutáta est ánima párvuli hujus: et ídeo invénit, quia humiliátus est, et párvulus factus est. Quis enim facit mandáta tua, sicut faciénda sunt, id est ex fide, quæ per dilectionem Dei operátur, nisi ejus in corde per Spíritum Sanctum ipsa diléctio diffundáatur? Hoc étiam iste párvulus confitétur. Os meum, inquit, apérui, et attráxi spíritum, quia mandáta tua desiderá-

bam. Quid desiderábat, nisi facere mandáta divína? Sed non erat unde fáceret infirmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, cónfites quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Júnior sum ego, inquit, et contémptus: justificatiónes tuas non sum oblitus. Non sicut inimíci mei, qui obliti sunt verbórum tuórum. Vidétur autem minor ætate non oblitus justificatiónes Dei, dolére pro inimícis suis ætate majóribus, qui obli- sunt. Nam quid est, júnior ego non sum oblitus, nisi illi majóres obli- sunt? Sed contémptum se dicit hic júnior; ídeo factus est major: quia ignobília et contemp- tibília mundi élégit Deus,

et ea quæ non sunt, tamquam sint, ut ea quæ sunt, evacuéntrur. Et ecce sunt novíssimi, qui erant pri- mi, et primi, qui erant novíssimi.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester venturus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Pro S. Didaco Confessore;
Lectio ix

Didacus Hispánus, ex óppido sancti Nicolái de Portu diecésis Hispanénsis, ab ineúnte ætate, pii sub sacerdótis disciplína, sanctioris vitæ tirocinium exércuit. Deinde, ut firmius Deo se con- júngeret, in convéntu de Arizzáfa sancti Francisci Assisiénsis régulam in statu laicáli proféssus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiæ et reguláris observantiæ jugo se subjiciens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cælestibus, litterárum expers, mirándum in modum et

plane divinitus loqueretur. Canáriis in insulis multa perpessus, martyrii aestuans desidério, plures infideles verbo et exemplo ad Christi fidem convértit. Romæ in convéntu Arae cæli ægrotórum curæ destinátus, miro caritatis affectu hoc munus exerceuit. Grátia insuper curatiónum in eo elúxit. Demum Compluti piissime ex hac vita migrávit, anno Dómini millésimo quadringentésimo sexagesimo tertio. Illum, multis miraculis clarum, Xystus quintus Sanctórum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. **Ant.** Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui inter cétera sapiéntiae tuæ miracula, étiam in ténera ætate matúræ sanctitatis grátiā contulisti: da,

quæsumus; ut beáti Stanislái exemplo, tempus instánter operando rediméntes, in ætérnam ingredi réquiem festinémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio S. Didaci:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Oratio

Omnípotens sempiterne Deus, qui dispositiōne mirábili infirma mundi eligis, ut fórtia quæque confundas: concéde propitiós humilitati nostræ; ut, piis beáti Didaci Confessoris tui precibus, ad perennem in cælis gloriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, tríumphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

V. Justum et Oratio Deus, qui, ut supra ad Lau-des.

Deinde Com. S. Didaci:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositione mirábili infírmā mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitati nostræ; ut, piis beati Didaci Confessoris tui précibus, ad perénnum in cælis glóriam sublimári mereamur. Per Dóminum nostrum.

17 Novembbris

S. LEOPOLDI
Marchionis, Confessoris

Duplex(m. t. v.)

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui aëdificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui beátum Leopoldum a sǽculi curis ad cæléstem glóriam

traduxísti: concéde, quæsumus, ita nos per hæc temporália pertransíre, ut aetérnæ vite consórtia mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in aetérnum.

V. Diffusa est grácia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio

Deus, qui in corde bætæ Gertrúdis Vírginis jucundam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessióne; cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf.:

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pôpulo, ora pro nobis Dóminum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

R. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quāsumus, omnipotens Deus: ut beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollēmnitas, et devotio nem nobis augeat et salutem. Per Dominum nostrum.

In II Nocturno**Lectio iv**

Leopoldus, Austriæ princeps, ab insigni in Deum pietate Pius cognominatus, in primo ætatis flore ea virtutis sémina concépit, quæ annorum progrēssu in singularem vitæ sanctitatem excreverunt. Relucabant in adulescentia cum Dei timore summa vitae intégritas, continéntia, et humilitas; in proiectiore ætate justitia, misericórdia, sapiéntia, religiónis cultus præcipius. Patre defuncto, curis licet conjugálibus, et principátus sollicitudine præpeditus, pietatis et misericórdiæ munera diligenter obibat: inopes fovébat, lassos roborábat. Dénique inter tota aulae inquinaménta immaculatum se ab hoc sæculo custodiébat.

R. Honéstum fecit illum Dominus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum:
* Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Ecclésiæ Românæ Pontifices tanta veneratiōne prosecútus est, ut ab Innocéntio secundo sancti Petri filius meruerit appellari. In clerum virósque religiosos beneficus, duo monastéria celebér-rima, Claustro-Neoburgense, et Sanctæ Crucis in valle nemorosa constrúxit, et amplissime dotavit. Mellicense quoque a se instauratum magnis sumptibus et cénsibus illustrávit. Demum cum annis quadraginta Austriæ principátum laudabiliter gubernasset, anno supra millésimum centésimo trigésimo sexto vita sanctissime functus, sacris Ecclésiæ Sacramentis munitus, ab hoc mundo ad cœlestem glóriam translátus est.

R. Amávit eum Dominus, et ornávit eum: sto-

lam gloriæ induit eum, *
Et ad portas paradisi co-
ronavit eum. **V.** Induit
eum Dóminus lorícam fi-
dei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Eius corpus ad Clau-
strum-Neobúrgi cón-
ditum innúmeris cœpit
clarére miráculis, quibus
Deus tantam viri sancti-
tatem vóluit maniféstam.
Namque ad ejus invoca-
tionem mórtui suscitati,
cæci illuminati, surdi au-
ditum, muti loquélam,
claudi gressum, captivi li-
bertatem, váriis morbis
oppresi sanitátem sunt
consecuti. His clarissimis
sanctimoniæ documéntis
rite compértis, Innocé-
nius octávus Sanctórum
catálogo eum adscrípsit.
Eius sacra ossa e túmulo
ab imperatōre Maximiliá-
no elevata, in eádem ec-
clésia honorificéntius re-
pórita, débita coluntur
veneratióne.

R. Iste homo perfécit
ómnia quæ locútus est ei
Deus, et dixit ad eum: In-
grédere in réquiem me-
am: * Quia te vidi justum
coram me ex ómnibus
gentibus. **V.** Iste est, qui
contémpsit vitam mundi,
et pervénit ad cælestia

regna. Quia. Glória Pa-
tri. Q uia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secundum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit
Jesus discípulis suis pa-
rábolam hanc: Homo qui-
dam nóbilis ábiit in regi-
ónem longínquam accí-
pere sibi regnum, et re-
vérti. Et réliqua.

Homilía sancti Bedæ
Venerabilis Presbýteri
Liber 5 Comment. in Luc.
cap. 19

Homo nóbilis ille est, cui
cæcus supra clamá-
bat: Fili David, miseré
mei. Longíqua régio Ec-
clésia est ex Géntibus, de
qua eídem homini nóbili,
qui lóquitur: Ego autem
constítutus sum Rex ab
eo, dícitur a Patre: Pó-
stula a me, et dabo tibi
Gentes hereditátem tuam,
et possessiónem tuam
térmilos terræ. Quæ vi-
déliset heréditas ac pos-
séssio bifária ratíone ré-
gio longíqua vocátur:
vel quia a finibus terræ
clamat ad Dóminum, vel
quia longe est a peccató-
ribus salus. Et cum Deus
ubique sit præsens, longe

tamen ab eórum sensu, qui idóla colunt, Deus verus abest.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et permanens in innocéntia sua. **Ipse.**

Lectio viii

Vocatis autem decem servis suis. Denárius númerus ad legem périt net propter décalógum. Vocat itaque paterfamilias decem servos, quia éligit discípulos per lítteram Legis imbútós. Dat illis decem mnas, quia Legis dicta spiritáliter intellegénda revélat. Post Passiónem quippe Resurrectionémque suam apéruit illis sensum, ut intellegérent Scriptúras: Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appénditur: et omnis Scripturæ sermo, qui vitæ cælestis perfeciónem súggerit, quasi númeri centenárii póndere fulgescit.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dómum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester venturus sit. **E**t. Glória Patri. **E**t.

Pro S. Gregorio Thaumaturgo
Ep. et Conf.:

Lectio ix

Gregórius, Neocæsaréæ Ponti epíscopus, sanctitate doctrináque illústris, signis vero ac miraculis multo illústrior, quorum multitúdine atque præstántia Thaumatúrgus appellátus est, et sancti Basilii testimónio cum Móyse, Prophétis et Apóstolis comparátus; montem, qui ecclésiæ ædificatióne impediébat, oratióne álio tránstulit. Item palúdem, inter frátres causam discordiárum, exsiccávit. Lycum flúvium, perniciose agros inundántem, defixo ad ripam quo sustentabátur báculo, qui statim viréntem crevit in árborem, coérçuit, ut póstea ultra eum téminum non efflúxerit. Sæpissime dæmo-

nes ex idólórum simulácris atque ex hóminum corpóribus ejécit, múltaque ália mirabiliter effécit, quibus innumerábiles hómines traxit ad Jesu Christi fidem, cum étiam prophético spíritu futúra prædiceret. Qui migratúrus e vita, cum quæsísset, quot in civitáte Neocæsarièrensi réliqui essent infidéles, responsúmque es- set tantum esse septémdecim; Deo grátias agens. Tótidem, inquit, erant fidéles, cum cœpi episcopátum. Plura scrispit, quibus étiam, non solum miráculis, Dei Ecclésiam illustrávit. Te Deum.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. **Ant.** Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui báatum Leopoldum a séculi curis ad cælestem glóriam traduxisti: concéde, quæsumus; ita nos per hæc

temporália pertransíre, ut aetérnæ vitæ consórta mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Gregorii Ep. et Conf:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontificis veneránda sollémnitás, et devotió nem nobis áugeat et salútētem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cæli cóndidit ore, manu.

V. Justum et Oratio Deus, qui, ut supra.

Deinde fit Commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi corónavit eum.

V. Elégit eum Dóminus sacerdótēm sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio Da, quásimus, ut supra 54*.

Die 26 Novembris

S. JOANNIS
BERCHMANS

Confessoris

Duplex (m. t. v.)

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Concéde, quásimus, fámulis tuis, Dómine, Deus, ea innocéntiæ ac fidelitatis exémpla in tuo servítio sectári: quibus angélicus júvenis Joánnes ætatis suæ florem consecrávit. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

V. Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea

benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summité montis Sinai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharínæ Virginis et Mártyris tuæ mirabiliter collocásti: præsta, quásimus; ut, ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. (Qui tecum.)

Deinde Commemoratio S. Silvestri Abbatis:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, tríumphans, divítias cæli cóndidit ore, manu.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Clementissime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sǽculi hujus vanitatem in aperto túmulo pie meditántem, ad erénum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur æterno. (Per Dóminum.)

**Postea Commemoratio S.
Petri Alexandrini Ep. et Mart.**

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honore coronasti eum, Dómine. **R.** Et constituisti eum super ópera manuum tuárum.

Oratio

Infirmitatem nostram respice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actionis gravat, beati Petri Mártiris tui atque Pontificis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Joánnes Berchmans Di stémii, Brabantinæ dicioñis oppido, piis honestisque paréntibus natus, a prima ætate morum innocéntia et mentis candore præter humánum modum excélluit. In médiis sǽculi blandiméntis adulescentiam ab omni levitáte alieníssimam duxit, in Deum jam tum únicæ ferri visus, cui ut árcius adhæreret inter sodáles Societatis Jesu, quæ Stanisláum Kostka et

Aloísium Gonzágam haud ita pridem cælo transmiserat, admitti pétuit. Mechliniæ tirocínio ínito nihil fuit religiósæ perfeciónis, quod non sibi intentíssima diligéntia conatúque assíduo assequéndum propóneret: et vero paucórum ménsum tiro, plane dignus hábitus est, a quo non æquáles modo, sed étiam ætate proiectiores matúrae virtutis exémpla péterent. Romam cum venisset studiorum causa, et operaréatur philosophiæ in collégio Románo, sodáles sibi rédditum arbitrabántur Aloísium Gonzágam; ádeo sanctimóniam illíus et vivéndi rationem omnem exprésserat.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem æternam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Modéstia et sénsuum custódia ad miráculum spectabátur; ita semet gérere sólitus, ut qui eum inspicerent, non du-

bitárent díceré, scriptas a beáto Ignátio leges de modéstia, si quo interírent casu, in Joánnē reperiéndas. Disciplinæ domésticæ servantíssimus ne tantillum quidem a religiósæ vitæ ratioñe deflexit, illam crébrius usúrpans vocem: Mea máxima pœniténtia vita commúnis. E tot sociórum número, quibúscum quotídie versabátur, nemo in illo quidquam notávit, quod reprehéndi posset: non supervacáneam aut parum considerátam vocem, non ímpetum ánimi, non afféctum repentinum, quales ratioñi vulgo præcúrrunt. Tantam ejus virtutem exornábat mira dulcédo índolis et natíva oris spécies, e qua puríssimæ mentis emicábat intégritas et quidam intuénibus afflabátur amor pudicitiæ et castimóniæ. Virginítatem, quam Deo vovisse puerulum ferunt, nullo carnis stímulo tentátam perpétuo custodívit. In Deiparam, quam a prima atéate sibi in paréntem adscíverat, nullum unquam prætermísit officii aut obséquii genus, quo amórem erga illam suum et religionem te-

staréatur; præcipuo vero cultu Immaculátum ejus Concéptum prosequebá-tur, cui propugnándo ex voti fórmula suo subscrípta sanguine júgiter se adlaboratúrum promísit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stola glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi corónávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Stúdio animárum incén-sus sacras expeditiōnes prospectábat ánimo, quas olim suscípere pro Dei glória cupiébat, cum in ipso juventútis flore, matúrus cælo, vívere dé-siit. Ex gravi morbo sensim deficiens, in commúni ómnium mæróre hilari vultu gestiébat, quasi vero supérnae beatitatis dulcé-dinem prægustáret. Ad hæc solári inviséntes, novíssimis singulos hortári ad virtutem móritis, even-túra prænuntiáre, quæ Dei instínctu ab eo dicta re ipsa compértum est. Sacrosáncto Christi córpore génibus humi flexis réfici voluit, ac paulo án-tequam moreretur, signum Jesu crucifixi, beátæ

Vírginis Rosário implícitum, libéllo Regulárum Societatis impónens, Hæc tria, inquit, mihi caríssima: cum his libénter móriar. Ita qua prædixerat hora placidíssimo éxitu decéssit, Idibus Augústi anno millésimo sexcentésimo vicésimo primo, annos natus vigínti duos, menses quinque. Funus ejus ómnium Ordinum concúrsu et láudibus celebrátum est, omnésque pro certo habuérint, Joánnem ad sedes Beatórum, cum iis aliquándo in terris venerándum, evolásse. Commúnem hanc persuasiónem multa divínitus osténsa confirmárun. Quare, biénno ab ejus óbitu nondum elápsso, de ipsius virtútibus et miráculis judícum est institútum, quo ad éxitum perdúcto, Pius nonus eum beatórum Cælitum número accénsuit. Cum autem Joánnis mérita novis inde miráculis inclaruíssent, Leo décimus tértius, quinquagésimo sacerdótii sui anno absoluto Sanctórum honóres eídem sollémniter decretí.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei

Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:
*** Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.** **V.** Iste est, qui contémptis vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Quia.** **Glória Patri.** **Quia.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Mattháeum

Lectio vii Cap. 19, 16-21

In illo témpore: Ecce, unus accédens ad Jésus, ait illi: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam ætérnam? Et réliqua.

Homilia sancti Bedæ
Venerabilis Presbýteri

In Marc. cap. 10

Hæc est puerilis innocéntiae cástitas, quæ nobis imitánda propónitur, si regnum Dei volúmus intráre. Notandum sane, quod justitia legis suo témpore custodita non solum bona terræ verum étiam suis cultóribus vitam conferébat ætérnam. Et ille respónsens ait: Magíster, hæc ómnia observávi a juventute mea. Non est putándus homo iste vel voto tentántis, ut quidam pu-

tavére, Dóminum interrogásse, vel de sua esse vi-ta mentitus, cum se legis mandáta custodíssse di-cébat, sed simpliciter ut víxerit, esse conféssus. Quia si mendáci aut simulatiónis noxa reus te-nerétur, nequáquam intútus arcána cordis ejus, eum dilígere dicerétur Je-sus. Díligit enim Dómi-nus eos, qui mandáta le-gis, quamvis minóra, cu-stodiunt, sed nihilominus quod in lege minus fúerat, iis, qui perfécti esse dé-siderant, osténdit, qui non venit sólvore Legem aut Prophétas, sed adím-plére.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes ope-rátus est, et de omni cor-de suo laudávit Dómi-num: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinen-s se ab omni ópere malo, et pér-manens in innocéntia sua.

Ipse.

Lectio viii

Ad quam profécto adim-pletiónem atque pér-tinet quod hic consequénter ad-júngitur: Vade, quæcúm-que habes, vende, et da

paupéribus, et habébis thesárum in cælo; et ve-ni, séquere me. Quicúm-que perféctus esse voltú-erit, debet véndere quæ habe-t, et non ex parte vén-dere, sicut Ananías et Saphíra, sed totum vén-dere, et cum vendíderit, dare omne paupéribus, et sic sibi præparáre thesáu-rum in regno cælórum. Nec hoc ad perfectióne-m sufficit, nisi post contémp-tas divítias Salvatórem sequátur, idest, relíctis malis faciat bona. Fací-lius enim sácculus con-témnitur, quam volúntas. Multi divítias relinqué-tes, Dóminum non se-quúntur. Séquitur autem Dóminum qui imitátor ejus est, et per vestigia illius gráditur. Qui enim dicit se Christo crédere, debet quómodo ille am-bulávit et ipse ambuláre.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ar-dentes in mánibus ve-stris: * Et vos símiles homínibus exspectánti-bus dóminum suum, quan-do revertátur a nuptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dómi-nus vester ventúrus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

Pro S. Silvestro Abbatē:

Lectio ix

Silvester, Auximi in Piceno nóbili génere ortus, puerilem ætátēm litteris ac bonis móribus mírfice exornávit. Sacris litteris rite imbútus et canónicus factus, exémplo et sacris contiñebus populo opem tulit. Inter funus nóbilis cujúsdam defuncti, in apérto túmulo formósi viri suíque propínqui defórme cadáver conspiciens: Ego, inquit, sum, quod hic fuit; quod hic est, ego ero. Et mox in solitúdinem, majóris perfectiónis stúdio, secéssit, ibique vigíliis, oratiónibus jejuniisque déditus fuit. Ut autem magis latéret hómines, várias mutávit sedes, ac tandem ad montem Fanum, locum eo tempore desértum, in honórem sancti Benedícti templum eréxit, congregationísque Silvestrinórum fundámenta jecit. Ibi mira sanctitate mónachis præfúlsit; spíritu prophetiæ, potestáte in dæmones aliisque donis enífuit, quæ semper profunda humiliáte conservávit. Obdormívit in Dómino, anno sa-

lútis millésimo ducentésimo sexagésimo séptimo. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. **Ant.** Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Concédé, quásimus, fámulis tuis, Dómine, Deus, ea innocéntiæ ac fidelitatis exémpla in tuo servítio sectári: quibus angélicus júvenis Joánnes ætatis suæ florem consecrávit. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Silvestri:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvestrum Abbátem, sǽculi hujus vanitatem in apérto túmulo

pie meditántem, ad eré-
num vocáre, et præcláris
vitæ méritis décorare dig-
nátus es: te súpplices
exorámus; ut, ejus exém-
pló terréna despiciéntes,
tui consórto perfruámur
ætérrno. (Per Dóminum
nóstrum.)

Deinde S. Petri Alexan-
drini:

Ant. Qui odit ánimam
suam in hoc mundo, in
vitam æternam custódit
eam.

V. Justus ut palma flo-
rébit. **R.** Sicut cedrus Lí-
bani multiplicábitur.

Oratio

Infirmitátem nostram
réspice, omnípotens De-
us: et, quia pondus pró-
priæ actiōnis gravat, bé-
ati Petri Mártiris tui at-

que Pontíficis intercéssio
gloriósa nos prótegat. Per
Dóminum nóstrum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas. **R.**
Et osténdit illi regnum
Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir
despiciens mundum * et
terrénā, triúmphans, divi-
tias cælo condidit ore,
manu.

**Et fit Commemoratio S. Sil-
vestri:**

Ant. Euge, serve bone
et fidélis, quia in pauca
fuísti fidélis, supra multa
te constituam, intra in
gáudium Dómini tui.

V. Amávit et **Oratio**
Clementíssime Deus, ut
supra ad Laudes 60*.

biennales nos breves
biennales nos breves
biennales nos breves
Silvester, Auxilius
cœlestis auxiliis
rue marie et l'ordre de
D'auvergne nos breves
exhortationes nos breves
cœlestis auxiliis
KALENDARUM

KALENDARUM

SEPTEMBER

	pag.
4 S. Rosaliae Virg., duplex	1*
9 S. Corbiniani Ep. et Conf., duplex. Com. S. Gorgonii Mart.	3*
13 S. Nothburgæ Virg., duplex	6*
17 S. Hildegardis Virg., duplex. Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.	9*

OCTOBER

9 • S. Guntheri Eremitæ, Conf., Duplex. Com. S. Joannis Leonardi Conf. et Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.	17*
12 S. Maximiliani Ep. et Mart., Patroni principalis Diœcæsos, dupl. I class. cum Octava communi	23*
19 — Octava, duplex majus. Com. S. Petri de Alcantara Conf.	25*

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali

22 Dedicatio Ecclesie propriæ, duplex I classis cum Octava communi	30*
23 De II die infra Octavam Dedicationis, semiduplex	
25 De IV die infra Octavam Dedicationis, semiduplex. Com. Ss. Chrysanthi et Dariae Mart.	
26 De V die infra Octavam Dedicationis, semiduplex. Com. S. Eva- risti Papæ et Mart.	
27 De VI die infra Octavam Dedicationis. Com. Vigiliae	
29 Octava Dedicationis, duplex majus	
31 S. Wolfgangi Ep. et Conf., duplex. Com. Vigiliae	31*

NOVEMBER

5 Ss. Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Diœcæsos asservantur, duplex. Com. Octavæ Omnium Sanctorum	34*
6 S. Leonardi Abbatis, duplex. Com. Octavæ Omnium Sanctorum	41*
13 S. Stanislai Kostkæ Conf., duplex. Com. S. Didaci Conf.	44*
17 S. Leopoldi Marchionis, Conf. dupl. Com. S. Gregorii Thauma- turgi Ep. et Conf.	50*
26 S. Joannis Berchmans Conf., dupl. Com. S. Silvestri Abb. et S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.	55*

Juxta declarationem S. Rituum Congregationis diei 28 Aprilis 1914
tam in ipso Proprio quam in Kalendario Asterisco notantur Sancti vel Bea-
ti, qui neque in Martyrologio Romano descripti sunt neque publico cultu a
Sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, sed ex immemorabili
consuetudine publico ac religioso cultu honorantur cum Officio et Missa.

que donis erit, quæ
semper profunda humili-
tate conservavit. Obdor-
mivit in Dōmino, anno sa-

Clementissime Deus, qui
sanctum Silvestrum Ab-
batem, sacerdotem hujus vani-
tatem in aperto tumulo

INDICES

INDEX PS APPROBATIO AMERICUS

Concordat cum originalibus approbatis.

Psalms	Passaviæ, die 1 Februarii 1954	ppm
1	Benedic vobis misericordia mea	94
2	Quare immundus es tu, o mortali	94
3	Domine, quam multi inimici mei semper	94
4	Cum invocavero te, Domine	122
5	Verba mæta auribus	70
6	Domine, miserere mei	71
7, i	Domine Deus meus	60
7, ii	Clipeus mihi	58
8	Domine, Dñe noster	72
9, i	Celebribus ite, o Iudei	73
9, ii	Paulite Domine	73
9, iii	Oitare, Domine	73
9, iv	Exsurge, Dñe	74
10	Ad Dñm coram omnibus	75
	Dr. FRANCISCUS RIEMER	
	IMPRIMATUR	
	Passaviæ, die 2 Februarii 1954	
	Episcopus Passavae	
	† SIMON CONRADUS O. S. B.	
	Episcopus Passavae	
11	Salva, Domine!	125
12	Quousque, Domine?	125
13	Dicit insipiens	81
14	Domitus, quis	82
15	Conserva me, Deus	82
16	Audi, Dñe, justam	184
17, i	Diligo te, Domina	83
17, ii	Estatim manum	83
17, iii	Quisnam est deus	84
18, i	Celi emigrant	84
18, ii	Lex Domini	85
19	Exaudiat te Dñe	85
20	Domine, de potentia	86
	Antonius Index	
21, i	Deus meus	99
21, ii	Circumstant me	100
21, iii	Enarratio nomen	101
22	Domine, misericordia sis ergo tu misericordia et misericordia tua	101
23	Domini est terra	101
24, i	Ad te attollo	87
	Antonius Index	